JOHANNIS BAPTISTÆ FERRARII

Senensis

è SOCIETATE JESU

Novissima Editio

juxta Exemplar

Impressum

COLONIÆ

apud Cornelium Egmont.

Nunc

REIMPRESSA

VILNÆ

Typis S. R. M. Academicis

Societatis JESU.

BERNHARDUS
ROTTENDORFFIUS
Comes Palatinus Cæsareus, & Reipublicæ Monaster: Archiater, &c.

Filiis suis

BERNHARD: EUSTACH:

&

MAURITIO ERNESTO ROTTENDORFFIIS.

IBAM anterioribus mensibus Reipubl: causâ Bonnam ad Serenissi: Elector: Colonien: Legatus: cùm ecce incido Co-

 loniæ

loniæ in veterem amicum meum R. P. Jo. Sibennium S. JESU Presbyterum, virum de humanioribus literis longê meritissimum. Dum autem ut talium mos est, variis de rebus inprimis de Scriptoribus multus inter nos sermo esset; primus ille in symbolam Protulit Joan: Bapt: Ferrarii Soc: item JESU presbyteri Orationes Romæ editas, easque sive materiæ sensuumque amplitudinem, sive styli elegantiam spectemus, oppidò sanê excellentes; illisque me in sui mnemosiuon donavit. Illas ego cum inter fastidiosas Aulæ molestias, animi levandi causâ crebrius evolverem, visæ mihi sunt dignissimæ, quæ in Germania

nia recuderentur: ſicque ex illo Romano Exemplari, veluti fonte quodam derivatus ſapientiæ & eloquentiæ amplior fluvius, noſtratium etiam ingenia animoſque rigaret fœcundaretque. Convenio proindè Clariſſ: Virum Joannem Janſonium, Nobilem Typographum, illique auctor ſum, ut ad ſuas ille formas Scriptorem illum revocaret, ac typis recentatum, publico commodo evulgaret: qui votis meis haud difficulter aſſenſus eſt; Idque eo libentius, quoniam jam antè ejuſdem Ferrarii Floræ, ſeu Librorum de Florum cultura novam ex mea recenſione auſpiciiſque Editionem accurârat. Nec promptè ſanè minus

quàm promiſerat præſtitit; ac ſponſione illâ fidem ſuam exemit, properatis etiam ſuprà opinionem operis. Atque hic ipſe libellus eſt, Filii mei, quem vobis hic in manum porrigo; &, utpote in quem, quod Germani illum juris primus facio, aliquid mihi vendicare videor, offero dedicoque. Rationem cur id faciam à me flagitatis? Unam do eamque potentiſſimam: Quia ego Parens Veſter, Vos Filii mei: Plura jam dicere nihil attinet: Ipſe affectus, ſecretus ex natura monitor reliqua facilè ſuggeſturus eſt. Hoc addo tantum; volui vos ſemper habere & virtute & doctrinâ Præſtantiſſimos, ac hoc etiamnum vo-

lo, &

lo, & ut consequar, nullis vel sumptibus vel curis, quod ipsi nôstis, parco. Huc, si genuinum me parentem agnoscitis, contendite & properate. Sed geminum hoc par videte ut felicissimo in animis vestris connubio copuletis; alterum sine altero parum admodum profuturum est; ac quidem Virtus sine doctrina parum splendoris habet: Doctrina sine virtute plurimum etiam periculi: at si conjungantur, magno vobis futuræ sunt, tum ad gloriam illam, quæ in qualecunque honesti laboris præmium dari hic solet, tum ad futuram ac immortalem illam, adminiculo. Porrò cum utrumque parvulus iste Liber

largissimè

largissimè propinet; ac vos ipsi adhuc dum parvuli, ac necdũ ex ephebis omnino egressi, aut certè jam offerre illum vobis, aut (ne nimium livori me permittam) legendũ imitãdumq́; commendare volui. Habetis ergò consilii hujus mei rationem. Valete jam & quã de vobis spem concepi, ne me fallat, laborate; pariterq́; quod toties vobis ingerere solemne mihi est, ad Latinas literas Græcarum studiũ adjũgite; certi, quod nullo jam aut facili labore ingentem vobis fructum parituri sitis, quẽ tum, cum ad graviores disciplinas maturior vos ætas & promptius judicium evocabit, experiemini. Iterum valete.

MUTIUS

MUTIUS VITELLESCUS
Societatis JESU Præpositus
Generalis.

CUm Orationes P. Joannis Baptistæ Ferrarii Societatis nostræ, tres ejusdem Societatis Theologi, quibus; id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandentur, si ita Reverendissimo D. Vicesgerenti, & Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii videbitur. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 25. Decemb: Anno 1634.

Mutius Vitellescus.

REIM-

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiss: P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

A. Torniellus Vicesgerens.

EGo Gherardus Saracenus Orationes Adm: R. P. Joannis Baptistæ Ferrarii, jussu Reverendissimi P. Saeri Palatii Magistri, accuratissimè legi. Illas verò non modò Christianæ fidei, morumque integritati absonas non inveni: sed congenitum styli hactenus illibati candorem frequentissimis multiplicis eruditionis luminibus cum feliciter assequantur, sum quam maxime admira-

admiratus. Quamobrem publicam ſibi lucem ſuo jure exposcere mihi videntur, tanquam Reipublicæ litterariæ magnum aliquid decoris ſplendoriſq; mox allaturæ: dignæ prorſus, quæ aculeata ſuarum ſententiarum ſvavitate Apum ſæculo, ad eximiam doctrinæ gloriam floreſcenti ac verè mellito blandiantur. Romæ X. Kal: Jun: 1627.

Ego Gherardus Saracenus.

ORationes *Adm: R. P. Joannis Baptiſtæ Ferrarii, quæ inſcribuntur, Lilium inter ſpinas, Domus Peregrina, & Adul-*

Adultæ virtutis adoleſcens, diligenter perlegi de mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii, & digniſſimas eſſe cenſeo, ut in lucem edantur.

Julius Roſpiglioſius.

REIMPRIMATUR.

Fr: Nicolarns Riccardius Sacri Palatii APoſtolici Magiſter, *Ord: Præd:*

VIRGO

VIRGO TOTA PULCHRA

Sive
De incontaminato B. Virginis Conceptu.

ORATIO I.

EN tandem aliquando, Auditores, quam ulla ſine labe pulcherrimam, hoc eſt, dignam ſe Matrem fertili præpotens mente genuit ſibi DEUS, ſterili filiam utero anus Anna concepit. Quanquam ego veriùs anum hanc prodigiosè fertilem dixerim, quicquid uſpiam pulchri eſt, in una puella parituram. Prægeſtit animus nunquam antea viſæ, adhuc latentis pulchritudinis florem ſagaci viſu prælibare.

Expeditus, opinor, accessus erit: nostrate enim in horto inusitata floret pulchritudo. Jucundus etiam, viso flore, fructus existet voluptas: florem enim Maternæ in sinu stirpis hærētem intueri jucundissimum est. Agite igitur Auditores, Annæ Parentis in utero, sacro tanquam in hortulo, efflorescentem, Divini sapientiâ Sponsi ad miraculum usq; elaboratam, Augustissimæ Sponsæ formositatem mecum intuemini. Atq; ut jucundiùs intueamur; Sponsæ opificem suæ, inter opus canentem Sponsum; neq; opere solùm, sed cantu etiam singula venustatis decora perquâm venustè exprimentem audiamus. Ergo canori panegyrici caput est, quod in pulcherrimi structura corporis eminet, capitis decus: (a) *Caput tuum*, inquit *sicut Carmelus*. Ut enim sublimi fastigio ille cœlo, quàm terris, propior, indigenis mō-tibus supereminet: sic tu fœminarum formosissima humanæ majestatis modum decora proceritate excellis, ac toto vertice supra es. Nec tot idem præterea nativis arbusculis flosculisq; coronatur; quot ipsi virtutum ornamentis viges, formæ laudibus flores. Potuit in te sanè liberalior cum virtute forma florescere, in qua veteris culpæ spinæ tribuliquè, propagatum ip-

(a) *Cant:* 7.

in omnes poſteros bonæ ſementis exitium, locum non habuerit. Ut mirandum nemini ſit, ſi communem hominum ſtaturam auguſta magnitudine excedat, quæ ſervile ſceleris hæreditarii jugum non ſubierit. Quidni autem à terris in cœlum excreſceret cœlo dignior, quàm terris, pulchritudo? At ecce proceræ pulchritudinis regius vertex colore rutilo capillatur. Enimvero verè canitur, (a) *Coma capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Regalem facilè purpuram æmuletur coma, quam non antiquæ labis origine ſordidâ derivatus, depravatæ naturæ turpis fucus infecit: ſed ingenuum Divini amoris pigmentum præſentiſſimo illapſu coloravit. Nunc bene ſperare mortales miſeri jubemus. Noſtra jam præda fiet DEUS. Purpureus illum crinis regiis nodis implicabit? Auditiſne? Opifex fatetur ipſe vim crinis hujus: (b) *Vulneraſti cor meum*, inquit, *ſoror mea ſponſa in uno crine colli tui.* Si vel unus molliſſimus capillus aculeum habuit ad vulnerandum: cur non omnes rete contexant ad capiendum nobis DEUM? nullo enim negotio capitur vulneratus. Ite nunc & Megarēſis (c) Niſi cæſariem ad brevis Imperii ſuperſtitionem falsâ purpurâ fucate canora

(a) Cant: 7. (b) Cant: 4. (c) Ovid: 8. Metam.

mendacia Pòëtarum. Sine fuco & fallaciis tandem purpurat crinis, cujus regalis color cœli terrarumq; Reginam, ævo sempiterno regnaturam, declaravit. Jam verô nostros in se oculos convertit insolitus oculorum nitor. Ita enim perspicui *oculi tui, sicut piscina in Hesebon.* (a) Tanti est è naturæ fontibus nativæ limum labis non trahere; ut vel in oculis, liquido purior stagno, illimis transluceat integritas. Par erat præterea, pellucidos oculos, hoc etiam supinas aquas imitatos, non aliò, quàm in cœlum, esse conversos: ut parem sibi, suoq; dignam obtutu, stellarum illustrem pulchritudinem intuerentur. Pergite formosissimi oculi, pergite cœlum contueri. Auguror enim vos, gemella terrarum sidera, siderum Imperatori nitida nictatione nutuq; svasura, stellas ut omnes cœli vobis posthabeat: ut Sol ille sempiternus vestram præproperus ad lucem, verno tempore autumnet in Virgine. Nunc ex oculis ad genas, hoc est, è sideribus & fontibus ad flores ille nos appositè cantus vocat, (b) *Sicut flos mali punici, ita genæ tuæ.* Nam gemini sideris almæ luci apricæ, gemini fontis rore puro irriguæ, quonam alio pulchriùs vernantes genæ, quàm regiam coronam præferen-

(a) Cant. 7. (b) Cant. 4.

ferente, mali punici flore purpurascerēt? Regium ego florem tuum, divina Virguncula, pudorem singularem sanè dixerim: qui suamet purpurâ meritò coronatur ac regnat inter cæteros: quòd nõ privatæ solùm inquinamento vitæ, sed potiùs etiam posteritati communem Paterni facinoris maculam inaudito antea miraculo erubuerit ac fugerit. Sed non ridet minùs in labris, quàm floreat in genis, ingenuus rubor: (a) *Sicut* enim *vitta coccinea, labia tua*. O labella, pudoris amorisq; vittæ svaviter tenaces! seu vos pudor adstringat, ut parcè verba laxetis: seu vos amor relaxet, ut incomprehensibile Verbum indissolubili nodo adstringatis. Astringere facilè poterit, cujuslibet nexu criminis semper soluta. DEUS ipse decorum, sibi ducet ejus esse captivum, quæ in communi hæreditariæ culpæ captivitate sola libera sit. Rideat jam, quas olim demirabatur, Gallici Herculis commentitias vires, catenatos auribus populos erudito trahentis ore, temerè credula mortalitas. Hercule fortior Virgo brevi, sed amabili, verborum ambitu, tanquam vittâ coccineâ non hominum cœtum aliquem, sed ipsum detrahet cælo DEUM. Parce igitur, parce vetus fabula Deos De-

 asq;

(a) *Cant*: 4.

asq; omnes aurea de catena suspendere, qua deligatum Jovem irrito conatu cælo deripere laborent. Virgineus labor est, isq; perlevis, tenui DEUM vitta vincire, vinctumq; deducere. Venies brevi captivus Virginis, venies maxime Imperator: in breve corpusculum temet contrahes ad amplexum: purpurea labia, tua vincula, osculaberis. Tunc sanè delibata svavitas in carmen illud svavissimum eliquabitur. (a) *Favus distillans labia tua, Sponsa: mel & lac sub lingva tua.* Nimirum lacte mihi nõ modô ex ubere, verùm etiam ex ore scatet, svavissimo facta candore, Materna Virginitas. Cæterùm, si purpureis labra illecebris devincient ad oscula, quibus collinitores nodis DEUM pertrahent ad amplexus? Aureis equidem dixerim. DEUS ipse mihi concinit. (b) *Collum tuum* inquit, *sicut monilia.* E monili hoc pretiosissimo, cujus aurum obryzum fordis nativæ despumandam scoriam non habuit, quænam gemma penderet aptior, inquâm complexu illigatus arctissimo, infans DEUS? At vos mammæ sororiantes ut exporrectis liberaliter papillis vestrum ad nectar Numen invitatis! Erit illa dies, aut veriûs illa nox novo Sole illustris erit, quæ suarum ubertate deliciarum beatissi-

(a) *Cant:* 4. (b) *Cant:* 1.

tissimum, tuorum inhiare uberum svavitati DEUM videbit. Audiet etiam identidem â pupulo maximo tenerum id carmen lallari, (a) *Ubera tua, sicut botri vineæ*: cûm à communi fæce puro meroq; Matris liquore ebriolus næniolam sibi babutiet dormituro. Perplacet interim gemina vos ubera hinnulis capreæ gemellis comparari, (b) *qui pascuntur in liliis*. Pascite circa virginei cordis lilietum bellulæ damæ, geminæ mammæ: sugite puros casti sangvinis succos, quos in lacteos rores lactenti DEO convertatis; Virginalis enim sangvis candore amico facillimè lactescet. Hanc præterea laudem cum hinnulis mamillæ amabiliter geminatis, quòd oculos fugitis hominum: uni vos decet cicures esse ac tractabiles DEO, quæ humanũ longè adspectũ cauto pudore declinatis. Vultisne jam fœcundæ pulchritudinis florem suo cum fructu intueri? Quidni velitis; (c) *Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis*. Admiramini insolitum Virginitatis decus, ut incorrupta & frugifera sit? Ego verò potius admirer, ibi triticum posse existere, ubi

 (a) *In-*

(a) *Cant*: 7. (b) *Cant*: 4. & 7. (c) *Cant*: 7.

(a) *Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ;*
quàm ubi Virginali lilia vallo à primigeniæ noxæ senticeto liberum & vacuum spatium relinqvunt fœcunditati. Prodigio simile existimatis, Divinum Virginitatis fructum inermis lilieti innocenti sepe posse vallari? Ego verò ajo, ita Virginalis lilii candorem aculeatum esse, ut verenda specie statim oculos feriat, animos percellat, absterreat manus. O nobis in summa bonorum omnium caritate salutaris frugis opportunè fertilem Virginitatem! (b) Illo illo electorũ frumento enutrita & saginata mortalitas ad felicitatis immortalitatem adolescet. At bene habet: ad calcem operis ventum jam est: supremam formosis pedibus manum imposuit Artifex: cum ipso libet Artifice plaudere, (c) *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Instat omnium prior ille gressus esto, quo cum cæteræ imbecilitas infantiæ per aviti lubricum cœnum criminis non sine prolapsione reptet ad vitam, tu Divinæ opis aureo integumento calceatum pedem incontaminatũ promovisti ad sanctitatem. Ut unus ille & Pinceps, sinceræ plenus Majestatis, incessus non è nostratibus te fœminis

(a) *Virgil: eclog:* (b) *Zach: 9.* (c) *Cant: 7.*

nis aliquam, priùs captivam, quàm liberam, sed liberam præpotentis Filiam Principis arguat, unamq; omnium Principem fœminarum. Et miramur, si, cui Divina contulit ornamenta,

(a) Formamq; dedit, qua fœmina nasci
Nulla potest;

gloriabundus adeò prædicat DEUS ipse opifex,

operisq; sui concepit amorem,

novoque amoris miraculo eandem sibi Filiam, Parentem, & Sponsam delegit; ut, quo pluribus posset nominibus, opere formosissimo delectaretur? Nos quoq; in amorem tui rapis, Virgo pulcherrima; nobis ex istis Materni ergastuli tenebris effulges illustrissima, tuiq; sincerum conceptum luce retegis tua: te nobis Parentem, Patronam, ut multis nominibus quàm charissimi Tibi simus, nuncupamus: Tua Tibi singularia decora gratulamur: &, quando unus, qui tam bellè Te decoravit, gratulari pro dignitate Tibi Sponsus potest, Tuis victi meritis, mirabundi obmutescimus.

(a) Ovid: Metam. 10.

LILIUM INTER SPINAS

Sive

De incontaminato B. Virginis Conceptu.

ORATIO II.

QUid hoc miraculi est, quod oculos animumque nova prorsus amœnitate delectat? Cæterorum pulchritudo mortalium in primo vitæ membrorum rudimento rudis est atque indigesta: cum adolescente postmodum ætate paulatim dispositis perfectisquè lineamentis, amabilem Naturæ picturam explicat. Sed Virginis maximæ hodie floret, vel in ipso conceptu perfecta formositas; adeoq; fulget, ut involucro Materni uteri opacata transluceat. Nec ego tamen læta ista prodigia in summa miraculorum copia admiror: illud potiùs planè singulare ac Divinum rapit me in admirationem amoremq; sui; cùm scilicet forma inter mortales nulla sine alicujus nævo deformitatis sincera con-

conſpiciatur, unam hanc Virginem concipi ſine labe ulla pulcherrimam. Dabitis igitur veniam, ſapientiſſimi Auditores, ut, quamvis infans orator, formoſiſſimæ Virgini, quam unam caſtè depereo, inuſitatam gratuler felicitatem. Illa quoquè, ut ſpero, è Materno ſinũ plaudet puerili orationi meæ; quod, benevolentiam conciliante ætatis ſimilitudine, puella eſt. Equidem & mihi gratulor, quòd habeo gratulationis hodiernæ ducem optimum, Virginalis pulchritudinis præconem & præcentorem DEUM. Quare ardui dignitatem argumenti, ut opinor, dicendo aſſequar puer, qui DEUM ſequor. O Te ſincerè formoſam, Virgo, quæ mortales inter, dum hyeme conciperis, mirè vernas, (a) *ſicut lilium inter ſpinas.* Sic prorſus eſt. Una præ cæteris hominibus lilium es; quia eximio, circa communem, infectamq; ab origine communicatam aliis maculam, candore præſtas, atq; in Te ſponte captivos oculos animosq; convertis. Cæteri autem homines præ Te ſpinæ ſunt; quòd à Sponſa Paterni ſceleris radice horridum ac nocentem aculeum traxerunt. Quin etiam jure Tu quidem cum pulcherrimo florũ lilio compararis, cujus incontaminatum candorem

(a) *Cant.* 2.

rem ſimili conceptu repræſentas. Ut enim illud radice inſigniter candida niveo flori proludit; ſic planè tu antequam moribus palam floreas integerrimis, hæreditariæ maculæ immuni vitæ primordio præmaturè candicas. Albus color, præcipuè decorus DEO in ſacris veſtibus, quippe qui Numen Divinum, ſe ipſo pulcherrimum, ac nullius advẽtitii decoris indigum, olim adumbraret: te quoq; Divina Mater, maximè decuit, cùm vitam inchoares; ne DEUM ipſum ambituræ pars prima ſorderet. Albos Deorum filios, limpido colore felicitatem ſignificante, prædicârit Plato· (a) Juſtiùsego tuum tibi puella in publico malo feliciſſima nativæ neſcium nigritudinis, lætor alborem. Jam enimverò pura ex origine interpretor florem tuum. Cùm florida lilii formoſitate certabit fœcunda Virginitas: nec tam pulchrè illud è candido foliorum ſinu exſerit aureos apices, formæ præſtantiam, coronantes, quàm Tu decenter è Virginali proferes utero corporatum DEUM, candoris Tui aurum coronarium. Cætera ſimiles, ſtatura non diſcrepatis. Ut nulli florum, ſic nulli hominum excelſitas major; quòd aviti criminis, in poſteros transfuſi, ſordibus intacta ſuperemines. O igitur miſerè

(a) *Cicer: de legib: l. 1.*

ferè propagatas prioris flagitii ſpinas unicè innocens flos! ò tota lilium! Tibi meritò Filii tui Divina vox longe poſthabuit, (a) Regum opulentiſſimi Salomonis glorioſum operimentum, nempê auream chlamydem, (b) candidâ liliorum texturâ florentem: quia pretioſum in illa metallum pallido nitorē radiavit; Tibi verò ſui ſimilem, nullâ ſcilicet unquam inquinatam deformitate, pulchritudinem lucis æternæ candor afflavit. Iſta, ut candidè fatear, mihi me rapit, totumq; ſibi mancipat candida pulchritudo. Iſta in hac eloquentiæ palæſtra piè fecit audacem ad gratulandum infantiam orationis meæ. O mihi per Te liceat, Virgo ſpecioſiſſima, Tuum Tibi decus illibati candoris ſimilitudine, quàm teneræ vocis officio, pulchrius gratulari! Ah ne me inſidioſæ voluptatis hamatæ ſpinæ compungant & cōvulnerent, unde lilium conſcio pudore infeliciter erubeſcat in roſam! Felicium ego ſpinarum, puro Filii Tui Sangvine rorantium, Societatem præopto, quarum roſa eſt lilium Virginale. O ego ſevero & ſalubriter intractabili modeſtiæ ſpineto ipſos oculorum audaces arceam contactus; Hæc denique meorū ſumma votorū

 eſt,

(a) *Matth: 6.* (b) *Job: Pineda de rebus Salomon: l. 6. c. 5.*

est, Virgo candidissima, ut ex lilii Tui fructuoso cultu semper sim Tibi delecto candore pulcherrimus.

CÆLESTIS AD VIRGINEM LEGATIO:

Sive

De B. Virgine ab Angelo salutata:

ORATIO III.

BEne est, beatè est, AA. Cœlestis orator hominum causam feliciter peroravit ad Virginem. Perorata felicitas in utero Virginali fœcũdo compendio concluditur. Post felicissimam perorationem quid orationi supersit meæ, nisi ut recentia gaudia jucunda cõmemoratione congeminet? Agite igitur, accipite. Ad terras præmittitur juvenili sub imagine Divini conceptûs è cœlo nũntius: decuit enim mox illapsuram profusæ Divinitatis pluviam, pulcherrimam in speciem colorata Iride præ-

nun-

nuntiari. Ambitiosè crediderim humano vultu præisse Angelum, ut, quà liceret, corporandum imitaretur DEUM. At quò devius humilisq; devolas Gabriel? Magna legatio magnarum urbium Aulis non excipienda Nazaræis videtur angustiis. Sed angustum Cælitibus est, quicquid terrenum est. Quid enim vel maximæ urbes præ Cælo videantur, nisi maculæ quædam, his magnæ solùm, qui cælum nesciunt? Angustiores præterea oppidulis erant amplissimæ gentium exterarum urbes, quas Deorum sacrilega turba, quas vitiorum fœda colluvies oppleverat. Quodsi Nazareth, floridum nomen, ut vocis amabili florem redolet; quo quæso tempestivus in loco flos campi novellus concipi potuerit, quàm ubi loci nomen ipsum floreret? Neq; tamen Nazareth nomen aut pulchriùs floruerit unquam, aut florem svaviùs oluerit, quam cùm concluso Virginis in hortulo vere primo conceptus Virginei sangvinis flore vernat DEUS. Nūc enimvero,

Nunc ver purpureum, nunc formosissimus annus;

cùm Divina formositas genitabili Sangvine corporata floridè purpurascit. Quod igitur præstantissimorum nemo pictorum possit, una potest Virgo Virgineo Materni

sangvi-

ſangvinis minio DEUM hominibus ad vivum colorare. Nunc tandem quærenti,

(a) Quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcuntur flores,

Nazaræum habeo florem oſtendere, cui poſtmodum in Calvariæ aprica tranſlato regium genus, naturalisq; Divinitas Regis meritô nomen inſcribet. Cæterum in florei nominis urbe Virgo reperitur: par erat nimirum in florentiſſimo loco candidum florem non deſiderari. Ad Virginem divertit: cælo cæleſtis hoſpes: Cælitibus enim, ac Virginibus hoſpitalis amicitiæ candidam teſſeram dedit incontaminatæ ſimilis candor integritatis. Quanquam cæleſti hoſpiti patrium cælum videri potuit hoſpitium illud, in quo lacteam Virginalis pudicitiæ viam, candore notabilem ipſo, illabenti mox perviam DEO, nactus eſſet. Virgini demum ſalutem venerabundus impertit Angelus. Impertit autem? imò fœneratur: verbis enim impertita ſalus fœcundo Virginis prodigio reddenda eſt cum fœnore corporata. Verùm ad honorificam ſalutantis vocem turbatur pudibunda Virgo. O quàm decens turbata Virginitas, dum ſuffuſo pudore coloratur in roſas! O pudorem can- didæ

(a) *Virgil: eclog: 1.*

didæ Matrîs rubicundum Filium! O fertilissimam florum Nazareth, quæ rosas liberaliter producis, & in hortulis, & in genis! Ne metue Virginitati, ne metue paritura Virgo. Si fructus indoles flos est: quæ tam bellè illibato flores pudore, illibata paries. Flos ille Virgineus Virginei specimen partus est. Auguror. DEUM dabis in lucem: neq; enim alium peregrinus in têrris, ac planè cælestis pudoris flos, præter Divinum fructum pollicetur. Igitur, dum ineunte vere Virgo purpureo pudibunda flore svavissimè vernat, veriùs è Virgine, quàm ex Arietis vel Tauri astro florida veris amœnitas inchoabitur. Tu verò age Annæ, cæli, terrarumq́; votis: induere DEO in fructum Virgo florentissima: fructuosum enim nobis in ipso pudoris Tui roseo vere autumnum repræsentabis. Ita in prærogativa duplici singularis purpureum verecundo vultu ver, salutarem fœcundo utero autumnitatem præferes. Annue. O quantum potui, dices, annuendo; cùm Tuos ad nutus verno sub sidere videbis properâsse Solem ad Virginem. Annue. O quàm dulce, dices, annuisse! cum Tuis pendulo è papillis Amori instillatum lac melliata per oscula ubertim repetes blandissimo cum fœnore svavitatis. Sed ecce tandem

annu-

annuit pudentiſſima Virgo. Hactenus noſtra gaudia intueri, hactenus profari licuit. Nunc prodigum lucis Numen arcana miracula illuſtri caligine obumbrat: ad nitidiſſimam umbram connivēdum eſt. Nunc Infans in utero Sapientia obmuteſcit: muta Sapientia ſilendum eſt.

DOMUS PEREGRINA.

Sive

De Lauretana B. Virginis Domo.

ORATIO IV.

TE video tandem, Te veneror, anguſta quidem, ſed anguſta Domus; capacibus anguſtiis omnium gentium perfugium, hoſpitisq; DEI terreſtre cælum. Jure mortalitas univerſa longinquis aſſiduisq; peregrinationibus, Te veneratura, confluit; quando, Tuus ut eſſet inquilinus, è cæli Regia DEUS ipſe peregrinatus eſt. Tu quoque, ut homines Tuo ad peregrinandum invitares exemplo immenſos terrarum mariſq; tractus mirabiliter peregrina tranſmiſiſti: at quo vehiculo, quo

remi-

remigio? alato nempè Cælitum ministerio, ut ad nos planè volucris properaret. Insedisti Tu quidem primò, Italiæ adversum, Dalmatiæ collem; non tamen ut moras necteres, sed ut eandem Italiam in tui desiderium interjectis Adriaticis aquis accenderes; ut edita velut è specula sedem aptissimam eligeres; ut ex alto pronior incitatiorq; amoris nimirum pondere, ad amata littora descenderes. O quâm vellet placidè substratū prætereunti mare mera fieri mora, omnibusq; te remoris retinere; ut nostratibus in undis consisteres insula nimirum fortunata. Sed erratico domicilio statuendo stabile convenit elementum: neq; jam profugus Achates aliquis, sed melior hospes, Divina Mater, si non voce, at benefico adventu conclamat Italiam. Sensère venientis domicilii sanctitatem proximi nemoris rudes alioqui rigidæq; arbores, atq; in obsequium & venerationem flexiles, versùs mare inclinârunt sese: totoq; trunco pronæ, quoad vita mansit, perstitere. Dixisses, mirandum non esse ipsas fuisse commotas admirabundas arbores, cûm Domus ambularet: piguisse præterea in cælum rectas adspicere, cum stellifero cælo augustius domicilium aspexissent: è re sua fecisse, cum ad orientis Divini Solis cubile,
profe-

profectò vitale, sese adverterunt: præmonstrâsse demum consequentium sæculorum hominibus quanto pietatis sensu motura mentes humanas, & mollitura sit habitata DEO Ædicula, quæ nemorum truncos & robora inflexisset. Igitur in silvis primum, nec immeritò quippe obsequioso illo arborum nutu invitata, consedisti. Nox erat intempesta, cum luce meridiana prærradiâsti, & peculiarem in tenebris diem facilè circumfudisti Solis Regia, cujus umbra est fulgor. Testor pastores illos felicissimos, quibus per noctem excubantibus affulsisti. Vetus enimverò hæc est, atq; ab incunabulis usq; nascētis DEI propagata pastorum felicitas, ut obortam noctu Divinam ad lucem sint præ cæteris oculati. Adeò iis, qui rebus invigilant suis, ante diem illucescit. Captata sylvarum umbra tamdiu placuit, dum innocens fuit: postmodum verò sicariorum scelere peregrinanti religioni gravis Ædem ipsam religiosissimā aliò peregrinari côegit. Fratrum duorum villa, peramœno in colle posita fraterno fœdere DEUM & hominem socianti Domicilio congruenter arrisit: ut quod olim cælesti Sponso, in suburbano natalitio stabulo jucundè rusticanti Domina cecinit, hoc etiam Domus re ipsa, Echo nempe non inani, concinuisse

cinuisse

einuiſſe videatur, (a) *Commoremur in villis.* At brevem permiſit moram fratrum concordia mox de more diſcors, & à DEI-PARÆ liberalitate opes animumq; ſumẽs avaritia. E crudelibus privati ſoli hoſpitiis fugitivæ quæ ſupererat occupanda ſedes, niſi publica via? quam non eſſe deſerendam Pythagoræ brevi præcepto melius per tot annos diuturnâ ſtabiliq; morâ oſtendiſti. Tunc enimverò peregrinationis tuæ teſtis ſibi fuit ora Piceni, cûm te vidit, ſuo in ſolo ter intra annum mutata ſede, tandem in via conſtitiſſe, ut peregrini ſolent. O viam planè regiam, omnibusq; , qui tutò feliciterq; in hujus vitæ ambiguo bivio peregrinari volunt, perſequendam; quippè quæ recta ducit, ſicut ad mare, ſic ad MARIAM, nêmpè ad portum aditumq; felicitatis. Bene habet. Conſtabilita ſede, cælum non ſemel affuſa inſolita luce arriſit: nam cæli riſus lux eſt. Quis ſcit, an etiam ſidera, ſuis olim ſtellati lacunaris imaginibus piè invida, cælo refigi voluiſſe prono illo & prodigo fulgore ſignificârint, ut auguſtiori loco infigerentur; utq; non Dominam modò, verum etiam Domum coronarent: deniq; ut illuſtre lychnorum obſequium repræſentarent. Decet enim in Æde Solis aſtra lucere

(a) *Cant:* 7.

cere pro lychnis. Sed age jam, liberaliùs affulgente cælo, admirandam Ædem attentius perlustremus. Tota Domus cella est non ita magna, quadrangula & oblonga, è vulgari laterculo ad humile fastigium excitata. Equidem architectum fuisse Amorem nõ dubitaverim: adeo ad Parẽtis, hoc est, ad paupertatis libellam respondet ædificium. Lateres illos ignibus, opinor, suis excoxit Amor: adeo vix ingressos hospites ad amandum loci Dominum Dominamq; quamvis frigidi, accendunt. O quàm pulchrè candicant, quamvis fumo ævoq; infuscati parietes, quippe quibus candorem suum ipsa Virginitas illevit, Auri gemmarumq; ac pretiosæ vestis immensus thesaurus pretium non addit, sed accipit â paupere tecto, quod non fabuloso Midæ, sed efficaci Numinis contactu quibusvis evasit opibus longè pretiosius. Quanquam hujus thesaurariæ latebræ aurum & gemmæ mihi scoria sordesq; sunt præ abdita hîc olim Divinitate. Hic sanè decenter habitasse DEUM intelligas, ubi contubernalis inveniri potuit fœcũda Virginitas. Hic, si unquam aliàs in orbe terrarum, Divina lusit Sapientia; dum sempiterna tẽporis cursum iniit: dũ infinito senio venerabilis, amore didicit, juvenescere; dũ maximè latuit, cùm in triviali

Domi-

Domicilio mortalibus obvia & præsentissima esset. Quæ januam olim simplicem, nunc triplicem opportunè pandit cella in sacellum conversa, liberalius & admittendis precibus, & beneficiis profundendis. Una, eaq; modica, in anteriore pariete satis superq; patet fenestra, non tam quia parvæ congruit cellæ, quàm quia vulgari Sole clariorem Luciferum, Solis arcani nuntium, admisisse dicitur. Et nunc eo situ est, ut per æquinoctium utrunq; Sol occidens lucem affundat, sive quòd illustrem salutationem cælestium siderum pulcherrimum continuare debuit: sive quòd præ cælesti juvene, olim hospite splendidissimo, Sol ipse, vespertinus salutator, obscuriorem se Hesperum profitetur: sive etiam quòd lucis tributo à vitali Domicilio nitidiorem vitam in occasu accipit, pulchriorq; renascitur: sive demum quòd autumnalem Virginis exortum, vernumq; Numinis conceptum bis quotannis infusi obsequio luminis gratulatur. E regione visitur opportunis inquilino Amori, quippe ignis receptaculum, caminus. Illic tũ nobis ardentissimus, cùm pro nobis frigidus. Amor ignibus suis frigora nostra discussit. Illic ultricia Patris fulmina recudit in missilia lambentium lingvarum, sagittasq; profuturas. Illic Divina Mater

viles

viles coquebat cibos, dignā paupere DEO ambrosiam. Proximum armariolum aptas illis epulis patinas servabat, plebeja nempè fictilia; quorum aliqua etiamnum auro spectantur inclusa; ut auro famulante, DEOq; adamante, auream esse decoramq; paupertatem doceamur. Dum enim DEUM ipsum fictilibus cœnare non puduit, vivitur parvo bene. Jam verò maximæ Matri majoriq; Filio, in cœlo latè regnantibus, adeo placet angusta terrenæ Domus pauperies, ut abesse nunquam velint. Ea propter stantis Matris, Filium altera manu medium amplexantis, altera sustinentis, cedrina effigies diuturniorem cedro custodiam loci, tutelamq; concurrentium pollicetur è sublimi fastigiatoq; loculamento, quod imminet camino. Tam Sacrosanctum Sacrarium tum sumptuosi operis templum, tum artificiosæ cælaturæ marmorea crusta ambitiosè circumdant: quia magnum est ambire, quod continuit DEUM. Congruenter circumstant è marmore in singulis loculamētis superiùs Sybillæ, inferiùs sacri Vates, Christi aut DEIPARÆ Virginis ortum vaticinati, tam similes vivis; ut, nisi prænôssem ab eo factos artifice, cujus cælum marmoribus cum vera effigie mendacium vitæ insculperet, facilè fuerim existimaturus, eosdem

eoſdem redivivos ad præviſæ Domus aſpectum cultumque conveniſſe, nec jam poſſe diſcedere marmoreo ſtupore defixos. Verùm iſta ornamento fuêre ſolùm non etiam fulcimento: cùm recens cruſta nonnullo intervallo à vetuſto pariete, velut contactum reverita, receſſerit: ac tota Domus, nullis nixa fundamentis, ac in ſummo ſolo per tot annos tuta conſiſtat, ab eo nimirum ſatis fulta ſatisq; fundata : (a) qui circumfuſo in äere appendit fundamenta terræ. Ut neſcias utrum mirere, magis ambulantem an ſtantem Domum. Non habet hæc neceſſe, (b) quemadmodum Palatinum Romuli tugurium, ad conditoris venerationem diu ſervatum, ſubinde ſarciri : quia perennem traxit incolumitatem à Fundatore ſalutis. Quis jam Domus admirandæ miracula enumeret, nedum enarret? Is profectò reliquorum & numerũ & magnitudinem ſatis indicabit, qui conjectura è Principe miraculo facienda, dicat. Hic è Matre Virgine DEUS factus eſt Homo. O beatum igitur portum peregrinationis meæ, ubi ante vitæ exitum, ante cæli aditum DEI Domus tenetur! Quam illa opem imploranti nõ afferat, quæ necdum nato DEUM profu-

(a) *Proverb:* 8. (b) *Dionyſ: Halicar: Antiqu: Roman: l.* 1.

dit? O rem planè mirabilem! Ardeo simul, & algeo, in hoc amoris hypocausto, in hoc frigidario Virginitatis. Hic, mi voluptas ſvaviter redundat ex oculis. O donatum remigranti ſvaviſſimum viaticum, liquidiſſimam voluptatem! Quanquam totus non redeo relicto corde maximæ Virgini obnoxio, ideo egregiè cordatus, quòd ita excors. O Domum, non tam Lauretæ hoſpitali ſolo, quàm averſo â nobis Numinis fulmine ſanê Lauretanam! O Italiam ex hac una perexigua Domo, quàm ampliſſimis urbibus, illuſtriorem! Equidem, quas in ipſius Domus fronte præſcribere mihi non licet, has animo meo impreſſi glorioſas Italiæ notas: Nazarena DEIPara, DEUSq; Filius Domicilii tranſlatione jam Itali ſunt.

VIRGO IN MONTIBUS DEMISSIOR.

Sive

De Beata Virgine Elisabetham invisente.

ORATIO V.

Corporato nuperrimè DEO, nostræ in vallibus mortalitatis peregrinante, peregrinatur hodie Divina Mater. Divinis Pere-rinis ambulantibus, indecorum videtur :què inurbanum quiescere nos, A. Quo-iam verò alterum ginantæo incessu exul-intem ad longissimam tolerantiæ curren-m viam, alteram Amoris, quo fœta est, ad montana properantem consequi rpore non possumus; volucri mentis ob-quio comitemur. Utriq; gratus, ut opi-r, comitatus hic noster erit; si viatoris riusq; viam conferamus. Igitur, cæli ex, Divinitas liberali sese pondere ab-cit ad terram, ut iter homini sterneret cælum. Virgo etiam maxima nova mi-culo tum se maximè demittit, cùm con-ndit in montes. Cur enim altissima

montium juga depressæ illi convalles no sint, quæ subditum utero gerens DEUM infinitam Numinis excelsitatem toto pe ctore ac veritate supereminet? Quid quò ambo suis è penetralibus, ille cæli, cæle stis hæc domus, ineunte vere egrediuntur. Vernare nimirum annus debuit; dum pro diret in publicum sive Sol Divinitatis, sive flos Virginitatis. Quid quòd uterq sine vectore festinat? Erravi. Utrinq; ve ctor amanti Amor est. At vos aviæ rupe perviam detumescite in planitiem; quan do, rerum fastigium humanarum, DE fœcũda Virgo sese inclinat ad vos. Quan quam tumere vos decet ac superbire, su blimi quæ vertice sublimius aliquid, quàm sidera, hoc est, siderum tangitis Impera tricem. Vos quoq; nudæ cautes flore induite, floridum incedenti ver Virgin substernite. Quanquam vulgari flore n indigetis, quæ pulchrius lectissima Virg ne florescitis: Emollescite sitienti in l quidas fontium perennitates arida sax Sed aruistis, opinor: quòd pudet scate vos, dum puriorem defessæ jam puel mormorea frons fontem exsudat. Plaudi prætereunti aurarum sibilo, avium can mutæ solitudines. Sed, nisi fallor, obm tuistis: quod obstrepere dedecet vos su vissimo Virginalium concentui suspiri rum.

rum. O montes, quos Divina hospes calcaverit, excelsissimos! Thessalum vobis Olympum ego longê posthabeo, quamvis immisto ille sideribus capite suum cælo nomen impresserit: excelsius enim est â terrenis Divina, quâm cælestia, contingi. Unum tibi, montana Virginis via, calcatum DEO Calvariæ montem habeo comparare: quod uterq; non astra cælo infixa, sed affixum vel arboris trunco, vel Virginis utero Divinum Solem attingere potuistis. Jam verò agite leves auræ, gemino quâ cæli, quâ uteri Sole æstuantem Reginam refrigerate. Satis jam laboriosi calore itineris Materni vultus candor irrubuit: satis proludens Filio Mater decantatam illam, funebrem aliquando collem adscensuri, candidam & rubicûdam imaginem repræsentavit. At bene est. Festinante cum Virgine sui cursus metas tenet oratio. Virginalis beneficia festinationis melior perorat orator infans è Matris utero Joannes, in illo silentij ergastulo, dum totus lætitia gestit, toto corpore eloquentissimus. Hujus autem lætissimæ summa perorationis ea est, teneram hominum ætatem DEI Filio Divinæq; Matri esse charissimam, quam sibi primum vivendam alter, sibi altera properê visendam, certatim uterq; protegendam ornandamq; itinere simillimo susceperunt. NA-

NATALITIA SOLIS ÆTERNI NOX.

Sive
De Christo nascente.

ORATIO VI.

VAgientis inter homines DEI nocturna miracula balbutiētem oratorem ad dicendum excitarunt: neq; enim dedecet balbutire me, dum vagit DEUS. Si quid ego inconditum aut asperum sonabo; tenerrimus ille Divini infantis vagitus, pacifera cæli næniola, terris blandita, mitigabit. Vos interim nascentis DEI recentia spectacula, tenebras inter adultæ noctis ad Amoris facem & lucem edita, mecum demiramini. Placidissima pax terras jam universas tranquillarat: decuit enim servilia terrarum odia silere, dum nova Amoris bella elegit Dominus, quibus efferatos hominum animos humanam ipse naturam indutus humanissimè expugnaret. Illa etiam maxima gentium Imperatrix Roma, felici-

feliciorem imperio ſubitura ſervitutem; dum generis humani capita ſingula recenſet ad ſuperbam imperij gloriam; ſecum vincendos, qui tum viverent, homines victori Chriſto numerat ad illuſtrem Divinæ victoriæ prædicationem. Enimverò glorioſior Roma futura erat, ſi, vana omnium hominum recenſione omiſſa, numerare unum diciciſſet inter homines DEUM. Mirandum jam non eſt, quòd locus ei non fuerit in diverſorio, qui neq; in hominum animis haberet hoſpitiū. Igitur hiemavit in campis Amor, verna mundo bella moturus in Cruce. Cæleſtem hoſpitē excepit malè materiatum tugurium: quid enim præter tuguria inveniret, qui cælum reliquiſſet? Secedit in ſuburbanū antrum paritura Virgo cum SSmo conjuge Joſepho: nondū enim urbes Virginitas & Sanctitas incolebāt. Hîc effuſo in preces utriq; per illius parietinæ patentes rimas qualia è cælo gaudia, feliciſſimi partus omina impluebant! Hiems erat ſumma, tempeſtas perfrigida, intempeſta nox hiberna frigora geminabat: ſui cum Amoris calida ſolſtitia properavit natus repentè Sol, ut, brumali nocte contracta, vitalis æſtatis longiſſimam diem repræſentaret. Jam verò quis tibi liquidiſſimæ voluptatis fuit ſenſus, ô Virgo, cùm fœcunda Virginitas

singulari miraculo peperit DEUM! erat nimirum, dum felicitas pareretur, non aliam præsto esse puerperæ obstetricem nisi voluptatem. At heu vagit nata felicitas! frigore tremit nudulus Amor! Ah parcite mala frigora, parcite mollicellum adurere puellum, quem satis Divinus calor adussit. Parcite gelidi ventorum turbines, niveum perflare corpusculum. Non sunt vestri juris canduli corporis hæ nives, quas non hibernum sidus, sed Amoris æstus læto prodigio coëgit. Parcite glaciales animæ arcanas amantissimi corculi flammulas eventilare. Heu nimis eventilatæ vivas oris pulcherrimi nives eliquant in lachrymulas. O lachrymæ, salutarium dolorum gemmea tyrocinia! Hiems nulla fœcundiore irrigua imbre permaduit: nulla nox puriore baccata rore gemmavit. At vos agrestes paleæ, Regis attactu mei regia purpura nobiliores, ne vestra asperitate læso corpusculo crudeliter purpurascite. Vos quoq; tenero substrata capiti horridula gramina, dum liberatorem meum obsidionali veluti corona cingitis, ne pungite. Heu quàm vereor, ne quis aculeus, ne qua occulta spina teneræ ante diem fronti sese ambitiosè insinuans, sangvineis punctiunculis se coloret in rosam. Tu verò quid

agis

agis Mater? Quid asperis tenerum pannis Amorem involvis? Purpureæ regium puerum fasciolæ decent: purpureus color decet Amorem. Sed nascens rusticatur Amor: hinc rustico more, opinor, mavult esse pannosus. Erit illa dies, erit, cùm in urbe regna doloris initurus, è prætoria sese arce in purpura spectabilem dabit civitati. Sed præsto jam sunt levamenta frigoris. Reciprocantis spiritus calidæ vices, è brutorum pectore animantium olentem animam reflantes, frigora temperant. Adeo placet Amori calor, qui afflatur è corde. Atqui alium inhalari sibi calorem malit frigidulus infans. Tuis, Virgo, amplexibus, tuis osculis cupit incalescere, Viden', ut hiante labello blandissimè ridens brachiola exporrigit? Quidni te suspiret è præsepi, qui de cælo properavit ad te? Bene est, abundè est. Maternis hæret amplexibus tremulus pupulus. In tam beati amplexus vinculũ sponte captivus accurrit. Incaluit sane puer, incaluit vicissim Mater. Sed calor puero sitim fecit. Quo jam nectare divina sitis temperetur in terris? Ipsa dignum DEO nectar invenit. Virgineo pendet ex ubere lactens DEUS. Virginis tandem in sinu media hieme lilia inventa sunt, inter quæ cælestis apicula pasceretur. Lacteum

um hic rorem delibans ſalutaria mihi ſui mella ſangvinis elaborat. Illo, illo lacte ſaginatus Amor lacteum mihi ſe colliget in orbem, caſtiſſimum mihi lacteſcet in epulum. Inter hæc, effuſo in terras cælo, pacem hominibus Cælites concinunt. Debuit cælum paciferam terris næniam, dum vagiret in terris pacis DEUS: ſed ille Divini vagitus infantis claro Cælitũ cantu ſvavius mihi pacem ſonat. Neq; tamen ingratiſſimo ſomno ſepultus orbis vel cæleſti carmine, vel Divino vagitu excitatus eſt. Quid autem veriſſimo Infantis DEI miraculo non indormiret cæca mortalitas, quæ multiplicis Deorum metamorphoſis vaniſſimis diu ſomniis invigilaſſet? Cæterum in tam miſera quiete pauci Paſtorum pervigiles inventi ſunt, qui cæleſti voce ad nova miracula exciti eam eſſe Bethlehemici agri fertilitatem viderunt, ut in illo naſceretur DEUS. O vos felices, qui mortalium diligentiſſimi ad tam ſálutare beneficium noctu vigilâſtis! O illos miſeros, qui natam ad ſalutem conniventes vel interdiu dormiunt!

RA-

RACHEL PLORANS FILIOS SUOS

Sive

De Sanctis pueris Innocentibus.

ORATIO VII.

AT ô regiorum arbiter consiliorum, maxime Regum DEUS, quid iste fert in omnium pace terrarum armatæ Regiæ tumultus? O quicquid in cælo fulminum lentum atq; otiosum es, propera, prohibe hoc humano majus, uno dignum Herode scelus. Adeône, humanitatis domicilium, urbana te Regia efferavit, Rex amentissime: ut neq; trepidantium squallore matrum, neque, lactentium innocentiâ moveare liberorum; Vos etiam nimis audistis detestabile imperium satellites: cæde tam impia desistite. Quòd si crudelibus certum est occidere, saltem vulnere abstinete. Sola comminatio, ac tristis fulgor armorum facile ante vulnus timidos exanimabit infantes Heu me! scopulis cano: non exaudior. Precibus altius meis

furor aulicus obstrepit. Ecce in theatrum frequentissimum teneris infantibus, non ad bestias, sed (quod pejus est) ad inhumanos homines damnatis, efferati carnifices ferarum loco, velut caveis emissi, undique impetum faciunt. Malè scilicet ad stragem hanc immitterentur feræ, quæ lactèa ætatula delinitæ feritatem dediscerent. Bene tuos lanistas, ad omnem pietatem ferreos, in arenam producis Herodes, quando te digno Ædile ludus datur crudelitati. Pasce jam oculos, animumq; ad ista spectacula oculatissimum, ad omnē humanitatis laudem cæcutiens Tyranne: ad singula etiam, hoc est, ad innumerabilia vulnera theatrali plausu (si par furori vox est) Hoc habet, exclama: diligenter observa, atq; in infinito cædentiū & cadentium numero numera (si potes) qui nam certius ad minimos corpusculorum scopos colliment: quinam altius mollissimis jugulis mucronem imprimant; ut strenuæ præmia immanitatis sangvinariis armis promeritos armillis dones mirmillones tuos. O spectaculum humanis oculis luctuosum, Herodi jucundum, quia luctuosum est! Vulnerantur ipso propemodum vulnere minores. Tantula corpora maximæ plagæ spatiosa sunt. Qui vix è mammis & Materni sinus portu solverūt,

suo

ſuo in cruore naufragiũ faciũt. Nimirum hic etiã mare rubrũ more ſuo naufragum eſt. Quo vivebãt igitur, naufragi moriũtur in ſangvine; imò ante pæne moriuntur, qnàm vixerint: vitali enim ſpiritu priùs mortiferos enſes tranſmittere coguntur ad cor. Hic hiante labello appetit ubera, & miſera vice pro papilla gladium excipit, unde mortem exſugat, animam exhalet. Ille, qui modo avidulo mammam ore guttatim exhauriebat, præciſo repentè capite Matrem ubertim cruentus humectat, ingratoq; fœnore pro lacte ſangvinem refundit. Tu verò gemellos imminente ferro pallidos, tuum ad ſinum, tanquam ad arcem, perfugas qui defendas in tuos luctus fœcunda Parens? Heu malè pretium pro filiis lacrymas offers, ubi cladem furor anhelat: malè precibus pugnas contra barbaros: malè querelis provocas ſuperbos. Ecce uterque piis Parentis, impiis hoſtium manibus in diverſa capitur, ac tantum non diſcerpitur. Ut neſciam, utrum furor, an pietas divexet ac diſcruciet magis. Quid fruſtra Matris nomen opemq; trepidi balbutitis infantes? Impendit illa, quas poteſt, ſingulas ſingulis inermes manus: geminas geminis ultimo in diſcrimine non poteſt: vobis illas ipſi, dum tenetis impeditis. Unum hoc una

poteſt, duplicem in cæde veſtra mortem experiri. Scilicet juſtus eſt uterq; carnifex: ne plus liberorum ſibi, quâm Parenti obtingat, æquo utrumque vulnere medium diſſecat. Pius etiam ſcilicet eſt: ut neſciat Mater quam prius in partem dolorem effundat parem utrinque doloris materiam dimidiatos filios maternis in manibus relinquit. Quid hîc aget infelix? quid conſilii capiet ambiguus dolor? miſerum ſanè. Intercluſo ſpiritu ſemianimis cadit Mater: ut exanimem utrumque filium pari officio per iter mortis, quantum fas eſt, viva proſequatur. At tu puer miſerabilis quid è collo Matris avulſus tremula ſupplex brachiola tuum tendis ad carnificem? Ah potius diſtrictum incitatumque in te gladium amplectere: hic enim facilius ſenſu pietatis emolleſcet. Quis jam in furoris licentia funera numeret? Velocior ferè trucidantis manus, quâm oculus intuentis: cùm præſertim piis hic lacrymis hebetetur ad viſum, perfuſa illa ſangvine acuatur ad ſcelus. Ut igitur multa numerem atque immania facinora; plura atq; immaniora ingerit crudelitas liberalis. Quis enim eos enumeret, qui miſerè confoſſi primulam vitam per ſuprema oſcula Matrum in ora exhalantes, iis, a quibus accepêre, ante

usuram restituunt? Quis eos, quibus ex hostili manu delapsis adeò parata mors est, ut obviis pedibus proterantur? Quis alios, qui dum cautè maternis vestibus occuluntur, simplici vagitu se retegunt, innocentes sui ipsorum proditores? Jam funestissimum natat sangvine theatrum: ut, post gladiatoriam sævitiam, cructam naumachiam furor Herodi ludere videatur. Jam cavea omnis morientium gemitu, lamentantium ululatu circumsonat. Gratum hunc sibi plausum victrix feritas excitavit. Jam perditæ mœrore ac luctu Matres misera orbitatis solatia, lacera filiorum membra dum conquirunt, non dignoscunt ad tumulum, quos peperêre nuper ad vitam: adeo degeneres vultus fecit inusitata calamitas. Si quæ tamen filios agnoscitis, ne tumulate. Vestrum pius hostis officium occupavit. An non videtis, ut excitatis ingentibus cæsorum cumulis, mutua omnes ruina tumulavit? Non enim habuit molliora & candidiora marmora, quæ cæderet atque imponeret. Neque necesse habetis lugubres in marmore notas, ut mos est, incidere, quas artifex crudelitas vulneribus satis inscripsit. Sed quis ille puer, qui tenera inter cadavera lacero etiam vultu regiam indolem spirat? Habet: parta victoria est.

Trium-

Triumpha fortis in pueros Rex, triumpha. Imperia ſcilicet fundaſti tua. Vaſtiſſima ſtrage iſta tuis illum Regnis formidatum deprehendiſti ſcilicet, atq; oppreſſiſti recens natû Imperatorem. O ſtolidiſſimum caput, (*a*) & ſerio Cæſarum joco Romana ex arce exſibilandum. Ut Regnum propages, regiam generis tui propaginem demetis: ut maximum Regem DEUM intercipias, Regulum homuncionem interficis: nec inelligis dementiſſime, te more Gigantum cum DEO bella ſuſcipere. Sed injuria Herodi illudimus. Facit ille, quod Herodem decet. Par enim eſt contaminatiſſimi Tyranni immanitatem lutulentæ belluæ ob turpiſſimæ vitæ affinitatem parcere, innocentis verò Filii regia victima ſibi litare: cûm nihil æquê, atq; innocentiam deteſtetur. Nulla tamen Erynnis tua, nulla unquam placabitur hoſtia niſi te. (*b*) Iſta, iſta viſcera impuriſſima, viſcerumq; nocentiſſimum cor ultricis facis lentis ignibus exedet, tuis diu pœnis fruitura, & prodigiosê inexplebili te fame abſumet. Tu lautis atq; opiparis epulis rabidum latrantemq; ſtomachum nequicquam ingurgita. Non tam dilicatè eſurit dira fames. Vinum iſtud cadaver avet helluari.

(*a*) *Macro: l. 1. c. 3.* (*b*) *Joſeph: antiq: l. 17. c. 18.*

suari. Pace tua cadaverosum te dixerim, o Rex. Non me patitur adulari meritò scatens vermium fœditas, erumpens odoris gravitas: nam quid existeret pulchrius, aut svavius è sceleribus tuis? Te manet præterea justa nervorum contractio, quos in ætatulæ innocentis exitium per summū nefas intendisti: manet insanabilis te spiritûs difficultas, qui tam facilè spiritum innocentibus ademisti. Quæres tu quidem inter medicatæ Callirrhöës balneas desperato morbo medicinam: sed igneam pestem istam, quæ tot modis miserè te discruciat, modicis aquis obrui posse frustra speres; cum tota fusi sangvinis eluvione restincta non sit. Ea tandem suprema remedia svadebit impatiens dolor, ut cruentam tibi manum coneris inferre Sapiet sanê severus hic monitor tuus, quôd nullam tibi, qui tot immerentes vulnerâsti, deberi justius medicinam ostendet, quàm vulnera: nullaque te manu implacabiliùs cōfici posse, quàm tua. Non tamen indiget vulnere flagitii conscius animus. Suis ista meritis levia dedignatus, ad gravissima supplicia sponte sua erumpet, ipse sibî tortor & carnifex sempiternus. At qua vestram ego cladem, laceri pupuli, qua Patriæ orbitatem digna comploratione lamentabor? Cecidistis novelli flosculi vitalis ad Solis exortum! Deflo-

ruiſtis lacteola lilia, ut mucronum inter aculeos ſangvineas imitaremini roſas! Occidiſtis vix natæ, quæ lacteam ſignatis viam, ſtellulæ, heu ſquallidam atq; atratam patriæ veſtræ noctem relicturæ! Fugiſtis inſontes animæ crudeles terras: at nunc veſtris exutæ corpuſculis tenebricoſa per loca exulatis! Qui nuper inter crepundia cum Matre luſitabatis infantes, tandem inter arma cum ipſa morte luſiſtis! At iſte ludus ſangvine vobis & vita ſtetit. Qui nondum fari per ætatem poteratis, ut pro Regum Rege in Tyrannum interfectorem veſtrum teſtimonium diceretis argutuli Martyres; clauſiſtis ora, aperuiſtis vulnera, vulnere quàm ore eloquentiores, qui vitam pro voce fudiſtis. Imò verò quot vulnera, totidem ora panditis, etiam à funere vocales famæ: ut Regum Imperatorem JESUM, Tyrannorum anteſignanum Herodem conſequentium poſteritati ſæculorum conteſtemini. (a) Hæc in Rama vox lamentabilis audita eſt: tum ploratus & ululatus multus. Ita luctuoſo Bethlehemis tumultu è veteri ſepulcro ad crudele ſpectaculũ excitata Rachel filios ſuos lugubri nænia deploravit. Parabam ego dolorem & lacrymas oratione abſtergere. Sed noluit conſolari, quia non ſunt. MO-

(a) Matth. 2.

MORIENTIS DEI PRODIGIUM.

Sive

De confuso rerum ordine in Christi cruciatibus.

Ad Gregorium XV. Pont: Max:

In Sacello Pontificum Vaticano.

ORATIO VIII.

ERumpe tandem, erumpe, quà licet, ex ore, ex oculis, sine rhetorum fuco incomptus, sine partitionis ordine incompositus, DEO moriente, parentalis dolor. Leviter dolet, B. P. dolorem quicunq; suum potest ordinare. Hæc una tristissimam orbitatem decet eloquentia, confusa cum rerum universitate flebiliter tumultuari. Quanquam utinam confundi omnium, perturbariq; tum primum cœpissent, cum nocte meridiana decolor dies expalluit, cum trepido tumultu dehiscens terra nutavit. Tum sanè, tum potius pessundatus rerum ordo est, cùm vilissima subiit supplicia reus apud homines DEUS. Hoc igitur

igitur lugubre argumentum exlex indicit dolor, perorandum ad clepſydram lacrymarum. Ecce autem hodierna rerum confuſio nocturno prodigio prænuntiatur: ecce verno ſub ſidere, florido anni tempore, in horto Getheſemani ſangvine pluit. O pluvium in dolorum ubertatem ver, quantum ab amœnitate tua degeneras! Hanc ergo infelicem laudem refers, ut mœſtiſſimo prodigio triſtiſſimas hiemes, atq; omnium vincas portenta ſæculorum. Quid enim tam prodigioſum portendi poteſt, quàm moriturum DEUM? Tu verò cœli terrarumq; præpotens Imperator, qui portas omnia verbo virtutis tuæ, (*a*) quid unius recens hortuli cultor ad ſudorem uſque ſangvineum præpoſtera novitate defatigaris. Si ſubigendo molliendoq; in horto brevis labor ſangvinem exprimit: laborioſiſſima duriſſimi montis Calvariæ cultura quantum Divini cruoris exhauriet? Et hactenus quidem inter hortos: inter hoſtes jam impēſius exangui deſudādum eſt: jamquè illi proxima in arena circumſiſtunt cum facibus & armis. Faces equidem iſtas tenebricoſo Inferorum igne crediderim eſſe ſuccenſas, quæ clandeſtinum ad ſcelus ira præluxêre vobis nocturnæ furiæ, ut obvium noctu Solem non agnoveritis. At bene eſt: pœnituit crudelitatis: cle-

(*a*) *Ad Hebr:* 1.

clementer cum illo agitur : non vulnere, sed osculo excipitur. O facinus ab ipsa humanitate barbarum! O crudelissimo dignam proditore clementiam! Ut altissimè vulneratum facilè tradas in manus hostiū DEUM, Divinum ad cor perfido penetras osculo. Nimis enim nosti ex Amoris castris barbarè trāsfuga, nullis Amorē armis gravius vulnerari posse, quàm suis. Exclamare libet: Ubi mors non est, si in osculis est: Jam verò invictus ille, quique omnia vincit, Amor per Hierosolymæ vias perque fora nocturni furoris mancipium rapitur per triumphum. Ac, ne summum scelus non ritè fiat, è lictorum fæce audacissimus nescio quis, tanquam scurra triumphalis, DEO captivo insultans, ad risum Pontifici, ad plausum sibi captandum, probrosam alapam impingit. Alapis (miserum me!) in terris plauditur ad salutem ipso terrarum DEO. Pudet impudentissima cætera ludibria referre, quæ nox illa suis invita vidit in tenebris, quæque altissimo silentio involvit. Una supererat, quam deinde vidit luctuosa dies, crudelissima ignominia; ut, quem Regis amentia inter stultitiæ candidatos adscripserat, amentissimi vulgi optio, absoluto latrone, Liberatorem optimum ad necem reposceret, ac Barabbæ posthaberet DEUM. Nimirum,

mirum, ubi Reges delirant, facilè vulgus insanit. Verùm hæc per ludibria lusit furor: serio tandem scelus aggreditur. Ne sævissimi virgatores, ne Regum regi augustissimo vestem detrahite, quam illi unam in rerum omnium inopia ad nuditatis integumentum profusa in alios charitas reliquit. Ne speciosum forma præ filiis hominum frequentissimo in theatro denudate, cujus formosissimus pudor oculorum conjectu gravius, quàm verberum ictu, vapulabit. Vates infelix ego sum. Ecce delicatissimi sensus verecundia subito rubore suffusa cruentatur. Heu satis superq; publico dedecore modestiam vulnerâstis. Quid expeditis præterea virgis robustissimi tenerrimum in corpus carnifices innocentiam excarnificatis? Utinam liceret & Tibi, Domine JESU, ad servilis lanienæ declinationem, vocem illam ingenuam, & compluribus salutarem usurpare: *Civis Romanus sum.* Sed superstitionum id temporis omnium commune asylum Roma, falsis addicta numinibus, verum oblita DEUM erat civitate donare. Extabescite jam in lacrymas oculi, quando Divini Corporis nives prodigiosi furoris æstu solvuntur in sangvinem. Ne, quæso vos, ne ultra lictores. Ad terminales dolorum columnas per Oceanum sangvinis

ven-

entum est. Neq; enim una, sed geminæ
identur in illo verberum turbine, in illa
ingvinis alluvie fixæ columnæ; quarum
ltera è duro marmore misericordia mol-
ta non dissilit, quia sensu doloris obri-
uit, altera in vulnus mollissima, in tole-
antiã planè marmorea. Quamvis accisis
iribus, invictæ tamen fortitudinis mole
ua stat. Age immẽsa spatia fortiter emen-
e Ductor fortissime, perge jam ad coronæ
ræmia, quæ militaris tibi plausus ador-
avit. Sed quid coronamẽti hoc est? Hoc
leerat hodiernæ immanitatis portentis,
t Divina non stellis, sed spinis tempora
adiarent. Quanquam mirandum non est;
(a) quoniam rosas, antequam marcesce-
ent: in suam coronam luxus præcerpsit;
olas coronandæ spinas innocentiæ super-
uisse. Regnandum coronato est. Regnum
igitur in terris cape, sed coronæ simile,
siderum Imperator. Quid autem corona-
riæ spinæ aliud, quàm cruentum funestũq;
tibi regnum proferant, Rex dolorũ? I, se-
quere præeũtium ductũ studiumq; populo-
rum. Suo Te Roma satellitio suo Hiero-
solyma senatu deducit atq; etiã trahit ad
Imperium. Ac,ne quis hominum ordo de-
sit officio, ipsi etiã latrones lateri conjun-
ctissime hærent, nec ipsa nece separandi.
Non

(a) *Sapien: 2.*

Non regios jam, (*a*) ut olim, honores pe
montium latibula liber effugies. En inte
lictores ac vincula captivus enixè raperi
ad montem, ubi gentibus regnes conspi
cuus universis. Proh quàm gravè etian
DEO regnum Crux est! (*b*) Ille, qui tri
bus terræ molem digitis appendit, hume
ro non sustinet Crucem: ac trabali sul
sceptro caducus miserabiliter laborat
Verùm enimverò suum labori præmiun
est. Aprico jam in colle sublimis ac spe-
ctabilis regnas: jam dispergis cum sole
manus. Hoc tamen à sole discrepas, quod
utrinque occidis. Utrinque enim occiden-
tis vitæ fines durissimis clavis acutus præ-
figit dolor. Neque verò supremis labori-
bus confectus Rex noster otiosus est. Quid
ergo rerum agit Calvariæ in regno sub-
urbano? Arborem serit alteri sæculo pro-
futuram, regalemq; Cyri laudem jure u-
surpat: Hæc mea manu est sata Et mira-
mur, si aridus ille funestusq; truncus, in-
scriptus nomina Regis, repentè floret ac
vernat Quidni enim colono Rege con-
situs, regali sangvine irrigatus, regio no-
mine efflorescerer? Concepta inter labo-
rem sibi propinatum prælíba liquorem Di-
vine Rex. Quid hoc est? Livida fellis sa-
nies vinum inter exspumat. Nulla vide-
licet

(*a*) *Joan*: 6. (*b*) *Esai*. 40.

icet in terris ſvavitas ſine felle ad purum luit. Tu tamen liba mi Rex. (a) Quodlibet fel ſubitò fiet mel & lac ſub lingva ua. At ò tragicas Regis vices! In ipſa, uam feris, arbore vitæ moreris. Tu verò, ſempiterne Rex, iſtud indigniſſimæ mortis facinus conqueſtus exſpiras. Audivit rerum univerſitas Regis ſui moribundi conqueſtionem: atquè, ut mortuo DEO pro viribus juſta perſolveret, rerum ordine convulſo funditus tremefacta & meridianis tenebris flebiliter atrata, parentali nænia ululavit. Et communis rerum omnium ſtrepitus, & incluſus animo viam præcludit orationi dolor. Quare privatum & mutum dolorem hunc meum publicus naturæ gemitus perorabit.

PONTIFEX DOLORUM

Sive

De Chriſti Pontificali habitu è ſupplicii ſordibus.

ORATIO IX.

SPectaculum hodie habeo proponere, flebile id quidem omnibus, nemini tamen flebilius, quàm tibi P. B. Dicam planiùs. Ille Pontificum verè optimus, verè maximus,

G

(a) *Cant:* 4.

mus, Christus J E S U S, Pontificalem in speciem non alio cultu ornatuque, quàm sui sordibus & squalore supplicii spectabilis, Pontificiam in primis commiserationem justissimè reposcit. Neque verò timendum est, ne salutaris usuram spectaculi vel offusa meridie nox, vel effusa oculis lacrymarum pluvia intercludat. Satis enim funebres per tenebras Amoris beneficium fulget: neque spectari Amor potest meliore luce, quàm sua: & lacrymabile spectaculum perspicuæ clariùs lacrymæ repræsentant. Prima igitur oculos in se vertit, quæ nostrum integit prima Pontificem, byssina tunica. O quàm candida byssus es, quam Virginalis foecunditas produxit, lucis æternæ candor afflavit, amantis & morientis DEI pallor infecit. Jure te strictam alii dixêre tunicam, quæ tam arctè DEUM circumplexa es, ut mortalem feceris: jure te ocellatam alii, quam in horto Gethsemani sangvineis totam lacrymis oculatam prodigiosus effecit dolor. In illo autem stolæ Sacerdotalis lineo candore quàm candidè Divini Sacerdotis præluxit integritas! Ut enim linũ injuria fit melius: ita inter livorem verberum, inter ruborem vulnerũ cõtusa fulsit innocẽtia cãdidior. Jam verò
aliam

aliam & quidem regalem, ſolemni die byſ-
ſum, regium ſcilicet Herodis munus, in-
due Divine Pontifex. At quid hoc mon-
ſtri eſt? Candida veſtis fœdiſſimam fatu-
itatis notam imponit: cōtumelioſiſſimum
aulæ ſibilum excitat. Rem teneo. Inge-
nuus candor, inter aulicos decolor & fa-
tuus color eſt, quia fucum non ha-
bet. Sapientia ipſa in ſcelerum regno
ſtultitia eſt. Quanti ergo munus hoc He-
rodianum Sapientiæ ſtetit, quod inſaniæ
opinione conſtitit? O qualem ſapit amo-
rem iſta mihi inſania, quâ pro ſuorum ſa-
lute hoſtium ad ludibrium uſque DEUS
ambit candidatus! Ecce autem candidæ
tunicæ hyacinthina, Sacerdotali nempè
ritu, ſuperimponitur. Ecce (miſerum
me!) cæleſtis hyacinthi color in corpore
flagellis cæſo livor eſt. Quanquam, dum
verberatur DEUS, Divinus ille ſangvis
eductus quid aliud, quâm cælum colora-
ret in terris? Id unum cæleſte ut in meo
cælo deſiderem, effeciſtis crudeliſſimi vir-
gatores, lacteam nimirum aliquam priſti-
ni candoris viam & veſtigium. Adeo cæ-
lum ipſum ſævitia, ſi tangit, decolorat.
Ex iſto naſcitur tactu hyacinthinæ veſtis
appendicula, veterem fimbriam imitata.
Exaudio verbera tintinnabulis aureis ma-
gis ſonora: & hæc aurea ſunt, quia DE-

UM contingunt. Video coronatis mali punicis vulnera patentiora: & hæc digna corona ſunt, quia regio ſangvine purpurant. Subi jam grave Crucis Superhumerale Sacerdos ſemivive. Hoc ſanè ut pondere, ſic pretio veteris Ephod ſplendidum auguſtumque decus longè antecellit. Hoc enim non acu barbara, ſed Amoris aculeo: non phrygio, ſed Divino opere diſtingvit atque illuſtrat tuus bone JESU, pretioſior auro pallor, floridior hyacintho livor, cruor oſtro auguſtior, ipsâ candidior byſſo integritas. Neque hic utriq; olim additas humero gemmas onychinas deſideramus: quãdo tuis in humeris Crucis pretioſum pondus in ſalutis onychem facilè gemmaſcit. Jam verò Sacerdotalem balteum nemo non videat, qui Sacerdotem maximum arctiſſimo vinculo præcinctum, atque raptatum ad victimam videt. Nemo non eundem fatetur anti-quo magis diſcolorem, quem Odium atq; Amor texuerunt. At quis iſte laceri perfoſſique pectoris novus fulgor? O ſpectaculum ſalutare! Vulneratum pectus gemmatum Rationale eſt. Quodque nobis omnibus fauſtum & fortunatum: nos læſæ Divinitatis rei, nos homunciones Divinis gemmis per vulnera tributim inſcribimur. Nimirum nos animæ viles tuo, Amor, in pecto-

pectore gemmei ſumus. Venio nunc ad apicem dedecorum ac dolorum, ad ſpineam tiaram. Ita nê verò? Pontifici maximo de more coronando byſſus adeo nuſquam eſt, ut molliſſimæ è byſſo cidari ſpinoſiſſimam è rhamno coronam ſufficere neceſſe ſit? Nimirum non byſſum, ſed ſpinas novit intexere artifex crudelitas. Heu quàm facilis & expedita textura hæc illi fuit aculeato in opere, quæ tot acubus abundaret, Vos tamen coronarii rhamni pallidi vepres ſenſiſtis hoc ſcelus, ac DEUM vulneraturi magis expalluiſtis. At cur Divina ad tempora non veniſtis nativo cum flore molliores? Facilè veſtri piam cauſam rigoris interpretor. Cæterorum omnem florum ornatum ac pompam d dignati eſtis, quibus uno ſatis erat efflоreſcendum DEO. Una ſupereſt Pontificiæ præferenda fronti aurea lamina, Sacroſancto Numinis nomine inſcripta. O factam bene! Ecce non unis, ut olim Judæa natio gentilibus notis, at omnium literis gentis ſalutare nomen Hæbraicè, Græcê, & latinê legit liberata mortalitas. Atque præpoſterè, nec more majorum, ligno, non auro Divinum nomen inſculpitur. Sed ſatis aureum eſt, quod aureo nomine præfulget. Quid vos, delira capita, in auguſtum nomen refigen-

dum conjuratis? Infeliciter cum DEO bella suscipitis, qui regium DEO nomen extorquere conamini. Quis quæso decentiùs Divinum nomen Sacerdos præferat, quàm Sacerdos DEUS? Vestro igitur constantior præside præpotens Imperator quod scripsit, scripsit. Jam Sacra noster in veste Põtifex refulget. Huc agite Victimarij victimam. Imò desistite. Meliorem ipse paravit sibi, quâm facturo eodem hoc in monte Abrahamo antiquitus obtulerit. Ubi nimirum ad Amoris ignem sacrificatur, idem est Sacerdos ac victima. Et quanam alia & Sacerdos & amans DEUS digna parique litaret sibi hostia, nisi se? Cecidisti tu quidem ad mortalitatis aram Amoris victima; Divine Pontifex: sed immortalis vives in Amoris animato cælo, in animis nostris. Vaticanus ipse Pontificiæ splendor Majestatis, ex illustribus natus ludibrijs Potificatus tui, te exstincto, atrato cum sole squalet hebetatus. Et quoniam toto tibi sangvine stetêre nostra gaudia; ipsa, quæ semper interpres gaudii fuit, nunc tuo funere mœstissima, in Pontifice post unum te maximo, tuo concolor Sangvini, purpura funebris est ac parentalis.

PAR-

PARRICIDIUM
Sive
De Christi Parentis optimi cæde.
ORATIO X.

HÆc illa est dies, quæ vitæ Parente occiso veriûs, quâm Idus Martiæ, cæso Tyranno Cæsare funestæ, publici decreto doloris debet *Parricidium* nominari. Tam atrox, tam insolens in DEUM Parricidii scelus non communibus lacrymis, sed præsudato sangvine deplorandum fuit. Osculo filiorum aliquis vulneri prolusit, ut ex facili oris aditu omnium gravissimè cor Paternum vulneraret. Vulnerum jam ego reliquorum licentiam non admiror, dum tantum licuit osculo in cor. Subi jam vincula prodite Pater: decet enim post osculum proditoris amplex9 vinculorum: neque tui te Filii alia ratione te mitius amplecti nôrunt, quàm vinculis. Leviter etiam perfer gravissimum alapæ ludibrium: alapis enim Patri blandiri par est filios parricidas. Sed imbellis est manus alapam impingere. Valentiores hic Pater liberos habet, qui deligatũ ad saxeam columnam, illa sanè duriores, alterno fustium impetu

Patrem recudant in mancipium. Equidem nunc primùm didici ſaxeos homines poſſe moveri. Quanquam hujuſmodi ſaxa nimium animæ habent ad motum, quæ crudelitate animantur. Sævitum ſatis eſt. Libet jam cum Patre filiis tantiſper luſitare. Sed iſte ludus inter ſpinas aculeum habet. O ingenioſam Amoris philoſophiam, quæ non Philoſophum modò Socratem, (*a*) ſed ipſum quoque ſapientiſſimum Parentem DEUM ſuis cum filiis doces in arundine repueraſcere. Jam verò filiorum odio levis arundo eſt. Crux Crux (inquam) par habens furori pondus, inauditum DEI parricidium peragit, quæ non minùs dedecore, quàm dolore, cruciat & mactat, Ubi jam mactatus à filiis, & pro filiis Pater tumuletur? Nuſquam certè decentiùs, quàm emollitis in animis filiorum.

PRO

(*a*) *Valer: Max: lib:* 8. *cap:* 8.

PRO SANGVINE LACHRYMÆ.

Sive

De cruenta Christi nece lachrymis prōsequenda.

ORATIO XI.

DIvinus hodie Sangvis inhumaniter effusus humanas lacrymas carê mercatur, Auditores. Quisquis autem potest à lacrymis temperare, næ is merum nihil est: Quicquid enim uspiam est, tristiorem quovis dolore cædem comploravit. Ecce hortus ipse, ad voluptatem cōsitus, undique compungit & cruentat. Adeo una, quam depeperimus, caducæ voluptatis rosa spinis innumerabilibus armatur in DEUM, ut cruentis punctionibus totum miserè roseum efficiat. Eluite lacrymæ speciosum forma, præsudati sangvinis flore deformatum. At ô prodigium inhumanissimæ humanitatis! Amor osculo traditur ad supplicium. Supervacaneas catenas jam captivo injicitis lictores. Prudentius lictorem agit antesignanus Judas: sola enim Amoris vincula oscula sunt. O oscula, funi-

funiculi Adam, & vincula charitatis, ad quas præterea delicias DEUM deducitis? Puderet dicere, nisi deduci sibi decorum ille existimâsset. Ad alapas devenitur. Nunc sacrilegis manibus magistris infeliciter disco non aliud esse palmare scelus, quàm quo depalmatur DEUS. Revocate vestrum impetum obortæ lacrymæ: blanditiæ alapæ sunt: ad cruentam crudelitatem ex constituto vos reservate. Imò hilarescite oculi ad pulcherrimum spectaculum: siquidem in forensi theatro exuta vestium nube, Divinitatis umbra, palam renidet nuda formositas. Ne quære Judex, quid à judiciis exul veritas sit. Nudam habes ante oculos Veritatem, nudam Innocentiam. Miserum me! Non ferunt scelestissimi Judicis oculi illustrem Veritatis atque Innocentiæ candorem. Cruentum colorem amat crudelitas, artifice laniena inducendum. Erumpite ex oculis crudeli spectaculo vulneratis, erumpite, sangvis oculorum, lacrymæ: erumpere vos decet è gemino vulnere in ejus commiserationem, qui vobis totus unum vulnus est. Sed ubi terrarum sumus? in urbe, an in sylva? Inter sylvas equidem reor nos exulare, quoniam à virgis in spinas incidimus. O forum ferum, & nimis crudeliter fertile, quod sangvine Divino irri-

irriguum ſtatim DEO ſpineta progignis! Niſi Chriſti, capitis noſtri, ſpinæ proximos quoque oculos noſtros compungunt, niſi debitas prodigo cruori lacrymas eliciunt; planè oculos non habemus. Jam verò è montano patibulo conſpicuus ardentiſſimæ charitatis æſtu mille vulnerum ora pandit, & mortalium lacrymas omnium ſitit emoriēs DEUS. En patentiſſimis vulneribus, quàm ſupremis precibus, vehementius vociferans miſerandæ ſiti ſolatium rogat. Quis enecto ſiti DEO pias in guttas oculos non eliquabit? Quidni lux oculorum extingvatur in lacrymis, quando Sol noſter occidit in ſangvine? Quid ultra velimus intueri ſine Sole? Sed finis ſit: nihil enim lacryma citius areſcit. Vos tamen ſic areſcite doloris lacrymæ, ut in amoris flammas tranſeatis.

SUPRA STELLAS EVECTA NUBES.

Sive

De Christo in cœlum Ascendente.

Ad Urbanum VIII. Pont: Max:

In Sacello Pontificum Vaticano.

ORATIO XII.

TRiumphalis illa nubes, quæ patefactum ascendenti Domino cælum mortalium oculis intercludit, lætissimæ serenitatis usuram non eripit, B. P. Quin etiam, quoniam prospectus noster ad Remotissimum penetralis cæli spectaculum non protenditur; evectæ Divinum ad consessum humanitatis imaginem eadem refert: ut abeuntem nubem in proxima cõtemplemur. Nubes humido humilique loco natæ, ac terræ filiæ in sublime tendunt: ut è superiore loco, qui facilè conspici, animadvertique possit, omnes moneant, purissimi corporis, Divinitatem obnubentis, nubem è terrarum humilitate altê adscensuram non sine humore, sed plane Divino, extitisse: cùm pluviæ instar vellus irrorantis descen-

descendẽte DEO Nazareni soli Virginalis fœcunditas silentio irrigata est. Neque verò post liberalem imbrem solis æstus desideratus est, quo nubium levissima supra stellas ipsas extolleretur. Imò (quod nemo neget) idem pluvia, & Sol est DEUS, liberalitate pluvius, æstuans charitate. Æstus hic præpotens, qui salutarem in pluviam DEUM solvit ac demisit, quidni Divini Corporis agilem nubem ad excelsitatem ipsi debitam efferret? Atque id causæ fuisse non temerè interpretor, quòd corporatum Numen in solitarios montes frequentissimè secederet. Debuit nimirum nubes ascendere. Te hic ego, Sole incluso lucida nube splendidè obumbrate, illustrissimum testem, Thabor, appello: qui nunquam æquè, atque ita nubilus, effulsisti. Te præterea testor, ejusdem nubis dissimili umbra illustris Golgotha: non enim eam candidam evexisti, sed cruentam; quæ, cùm Solem immensum obtexerit, facilè potuit minoris Solis meridiano lumini subitam objectu suo noctem offundere. Nox tamen illa te, collis beatissime, quavis die præclariùs illustravit: siquidem per tot sæculorum dies Ignotus DEUS in tuis meridianis tenebris agnitus est. Tunc enimverò sangvineæ nubis versicolor livor, Amoris luce repercussus, æternæ pa-

cis Iridē coloravit. Tunc immortalis vita inter mortales regerminavit, cū ſempiterni Solis in occaſu vitali ſangvine pluit. Sed jam cæterorum montium minora faſtigia præcelſo monti concedite, qui ad victoriæ ſignificationem olivarum vivaci viriditate ac nomine coronatus, toto gloriæ vertice ſupra eſt. Vos dignam, quæ ſidera transſcenderet, nubem infra nubes tantùm extuliſtis: eò ille, ubi Sol Divinus altiſſimus eminet, eandem intulit. Vos turbinibus agitandam reſervaſtis; iiſdem ille exemit, auxitque immiſſa nube ſplendidiſſimi cæli ſerenitatem. Jam verò quam læta, quàm mirabilis ipſo æternitatis meridie dies Cælitibus illuxit, cùm Solem ê terris in cælum nubes revexit? Cùm ſuam ad Regiam Sol nubem extulit; ut alterum in Solem accenſa luculentam diem geminaret? Cùm clarior, quàm hic duodecim per aſtra peregrinus, Sol immutabilis una in nube præfulſit. Quid jam ſupereſt, niſi ut ex cæleſtium prognoſticorum diſciplina proſperum præſagium è pulcherrima nube capiamus. Si nubilet montis vertex, vētus exſpectetur. O fauſtam Oliveti montanam nubem, exſpectatiſſimi venti prænuntiam! Adſpirabit poſt decem dies, adſpirabit è cælo terris aura illa Divina, cujus ab illapſu vitali recreata mortalitas
in

in regione mortis vitam ducet immortalem, atque à diuturnis tandem ærumnis refpirabit. Veni trepidis in rebus tempeftivum auxilium, veni è patria felicitatis feliciffime Spiritus: hominum animos, tua regna perfla: prope graffantium morborum peftes longiffimè diffla: pacifero afflatu vicina bellorum incendia extingve: Tu verò ferenitate qualibet nobis jucundior nubes, ne prorfus à Patriis terris abfis; dum falubriter nubilus Divinæ Charitatis Aufter, ad nos delapfus, vehementi fonitu te devocat; in eam, quæ te deceat, hoc eft, in auream beneficiorum pluviam optatiffima defcende.

IN IGNE AC SPIRITU DOMINUS

Sive

De S. Spiritus adventu:

Ad Paulum Quintum Pont: Max:

In Bafilica S. Petri.

ORATIO XIII.

DIcturum apud te P. B. verecunda me veneratio elingvem faceret, nifi Divinus è cælo ignis, efficaces in lingvas liberaliter pluvius, inflam-

maret

maret ad loquendum. Neque enim inerudito cuiquam deesse patitur orationem erudita cælestium affluentia lingvarum. Equidem ex illo pœne innumerabili numero non centum mihi lingvas (quod in gravissimis argumentis canorum est votum Pöëtarum) sed unam ejusdem optaverim, quæ spirabilis Numinis, ad nos properantis, infinitum beneficium, flammei turbinis illustri miraculo breviter inclusum, gratæ laudationis brevitate complectatur & recolat. Apposite autem recoli â me posse existimo; si veterem inter atque hodiernum spiritum, ignemque discrimen ostendam. Non enim sine spiritu, & calore vivebat antiquitas. Audiebatur igitur olim, qui petrarum dura contereret, (a) qui montium profunda subverteret, sonoras exspirans minas ruinasque, spiritus: sed in Spiritu Dominus. Etenim tunc sui parcus, & mortalium paucis intellectus, suas castis auribus animisque blanditias tenuis auræ sibilo insusurrabat DEUS. Reliquæ verò mortalitatis sensus, ad obstrepentium Catadupa libidinum hebetatus, cælestis ad murmuris illecebram miserabiliter obsurduerat. Quid, cum Divinus ille ventulus salutarem imbrem expressit? unus mundi angulus, Judæa, fæcundæ Virginis

(a) 3. Reg: 19.

ginis in uterum, (a) tanquam rore in vellus, illabente DEO, ſilentio irrorata eſt. Interim orbis terrarum ferè univerſus, pluvias inter opes inops, calamitoſa ſiccitate laborabat. Quanquam etiam ad pœnarum fœcunditatem, (b) diluvio irrigabatur. (c) *At ecce factus eſt repente de cælo ſonus.* Ne metue veteris eluvionis procellas tonanti fragore tremefacta tellus. Bene ominari jam licet. Feliciſſimo profuſa nimbo cum opibus Divinitas impluet. Nimirum Amor tonat. Non hic ultricia fulmina diſploſurus ſonitus Cœlitum iras, terrarum clades immurmurat: ſed ignes ſine vulnere prænuntiat innocẽtes. Erravi. Innocenter, volui dicere, vitali amoris plagâ vulneraturos ignes. Jam verô flammas præit vehemẽs unà cum ſono ſpiritus. O temporum noſtrorum felicitatem! Hoc ſanè, hoc in Spiritu Dominus. Veni, (d) qui fertiles afflas calores, cæleſtis Auſter: perfla hortum tuum. Quidni tuus terra dicatur hortus, cujus vel tribulos ac ſpinas coronarias Divinum caput ſideribus prætulit? Quidni terræ tuos afflatus indulgeas, cui Divinus ſangvis inſudavit? Auguror. DEO colente mollita, aſpirante DEO tepefactæ terræ

(a) *Pſal:* 71. (b) *Gen:* 7. (c) *Act:* 2. (d) *Cant:* 4.

terræ duritie, læto veris prodigio cœlestia fluent aromata. Sed jam, quod antiquo cum Vate licet & mihi dicere, (a) *Post spiritum ignis.* Quid enim aliud Amoris ventilatio, præter flammas excitaret? Jam, quod antiquo mecum Vati prædicare non licet, *In igne Dominus.* (b) Cùm enim victimam sese nostram fecerit DEUS; Divinæ dignitas victimæ quo debuit alio ardere igne, (c) quàm DEO? Monet hic me rei novitas, ut exquiram, cur hodiernus non cadat è cælo ignis de more aculeatus in fulmina: sed illabatur insolitas obtusus in lingvas. Dicam equidem, timide tamen in re gravissima, quod sentio. An quia odit Amor fulminare ac lædere, amat verò lambere & blandiri, ut quot ille igneis in lingvis apparuit, totidem amantissima hominibus pacis oscula libâsse videatur. An quia ipse sibi fama est Amor, qui tot lingvis abundat? Ut mirandum non sit, hodierni beneficii sonum amabilem ad ultimos usque, (d) terrarum fines brevi pertigisse. Testis est immenso abscissa intervallo, extrema rerum India, ad quam vehemens hic sonitus adeò celeriter penetravit, ut sonorum affulgẽtis Numinis illapsum tam verè senserit, quâm

olim

(a) *Reg:* 3. (b) *Ad Ephes:* 1. (c) *Ad Hebr:* 7. (d) *Psal:* 18.

olim falsò matutini Solis vicinos ortus, strepitumque luciferi currus exaudire diceretur. Testis est torridus Africæ tractus, quæ Divinarum afflatu flammarum geminatis caloribus jucundiùs æstuavit. Testis est gelida Scythiæ regio, quæ, averso atque avio Sole, meliùs incaluit DEO. Testis est Ægyptus, quæ Sacro cælestium delinita concentu lingvarum, superstitionem & flagitium sonantia sistra damnavit. Testes etiam (ut oras taceam infinitas) Græcorum Academiæ ac Lycæa, cum igneis lingvis Magistris DEUM tandem didicerint, cæcutientem dedocta sapientiam; quæ, quantùm perviderer, ostendit, dum aras inscriberet *Ignoto DEO*. (a) Quamvis autem ubique terrarum auditæ; nusquam tamen clariori repercussu Divinæ lingvæ, quâm Romanis in arcibus personuerunt. Nusquam Divinæ flammæ religiosius, quàm Romanorum in animis coluntur (*b*) quorum erga ignes religio cum ipsa Roma nata est. Ergo Divinis coronata flammis Roma Divinum habuit omen suum se Imperium, toto jam terrarum orbe majus, nova ligandi atque solvendi, (*c*) potestate ad cælum usque prolaturam. Nam flammis coronari ad fortuna

(a) *Act*: 17. (b) *Plutarch*: *in Romulo*. (c) *Matth*: 26.

tunatum potestatis Imperiique augurium (historiæ si credimus) Romanum est. Te nunc appello (voto enim finienda est oratio) te pulchra voce precor atque obtestor, Divini pectoris Divine Spiritus, DEUS Amor, qui hanc Romani Imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium elatam tuarum luce flammarum illustras, nationibusque universis suspiciendam facis: custodi, serva, protege hunc statum hanc pacem: salutaria illius & pia consilia felici adspiratione ad exitũ promove, quem prospero afflatu ad commune tecum Imperium evexisti: eorum exardesce in animis, quorum fulges in purpuris: bellorum, si quæ circumtonant, procellas pacifera difflatas aura dissipa: quos olim terris inspirâsti ardentissimos amores tui, ut svavissimè nos urerent; eventila semper ut vivant.

DIVINI AMORIS ÆSTAS.

Sive

De Sancti Spiritus adventu.

Ad Gregorium XV. Pont: Max:

In Sacello Pontificum Quirinali.

ORATIO XIV.

QUem hodie terris infundit æstum, æstivo calore longè majorem suis pluvius flammis amantissimus hominum DEUS, quidni beatam Amoris æstatem dicam, B. P.? Dicere quidem in tam augusto conspectu tacere cupientem cogit ignearum Divina vis & copia lingvarum. Si potuit igitur suburbana quondam in spelunca, tanquam in frigoris diversorio, nascens frigidulus Amor natalitiam Decembris hyemem adeo inflammare; ut nova sidera, & regia pectora procul accenderet: cur inter Patrios cæli ardores ardentissimus igne fervido mense non perpluat? Amoris enim pluvia ignis est. Enimverò non erat, cur prisca Poëtarum superstitio fabularetur, parco Promethei

thei furto cælestis ignis particulam subductam ad hominis lutum animandum, cum sese totum infinitum Numen in lutea pectora vitalis incendii splendido aureoque diluvio liberaliter effundat. Sed quare tempestas hæc ignea missilium lingvarum innocenti prodigio placidè fulminat? An quia Amoris fulmen, lingva amabilis flammas ad cor facilè jaculatur? An quia prodigus Amor suum erga nos profusum calorem non poterat nisi ardentibus lingvis explicare? An tandem quia Divini Verbi munus aptissimum cælestes lingvæ sunt? An nemini mirandum est, factum esse repentè de cælo sonum: lingvis enim pluit: Jam verò sese per flammeas lingvas insinuans in animos jucundissimus hic æstus, hoc est, Amoris æstas, vehementi spiritu commodùm ventilatur: ut vitam efficacibus flammis par ventus inspiret; quandoquidem unus potest Divinus Amor ardorem ipse suum eventilare. Quanquam eam quoque causam argutus hic cæli strepitus mihi significat, quare simul in ignem, atque in auram mutetur Amor: ut nimirum in Amoris æstu Amorem pro aura respiremus. Etenim svaviter æstuant, quibus Amor adspirat. O adspirantem ex Amoris pectore, vitalem perfrigidæ mortalitati calorem! O benefici Spiritus, au-
reis

reis flammis aureum sæculum afflantis, impetum salutarem! Surrexisti nunc tandem Aquilo, qui difflatis erroribus Divinæ serenitatem veritatis aperires. Venisti Auster, qui hominum animos, hoc est, frigidum ac sterilem sine te hortum tuum fœcundo calore perflares, quique felicem Amoris ignem, uni hodie Hierosolymæ pluvium, toto terrarum orbe diffunderes. Arsit gelida Septemtrionis ora, nec remotissimum Solem desideravit proximo illustris DEO. Arsit meliore flamma torridus mundi tractus, & Solis imminentis æstus præ Amoris æstate frigere utili experimento intellexit. Sed nulla magis regio, quàm, quæ DEI Regia in terris est, Roma Divinis ignibus æstuavit. Roma, Amor Divini Amoris, omnium plausu nationum prædicetur; cujus ille, ut memori ardeat in pectore amabili fulget in nomine.

BEATUM INCENDIUM
Sive
De Sancti Spiritus adventu.
Ad Urbanum VIII. Pont: Max:
In Sacello Pontificum Vaticano.

ORATIO XV.

ADsum incendii nuntius, B. P. quo incendio cùm universi9 terrarum orbis, tum præcipuè Regina hæc urbium, Urbs amplissima conflagravit. Neque tamen opem imploraturus adsum, sed ardorem gratulaturus. Non enim Nero aliquis, trabeatus ustor, feralem subdidit facem: at ipse suos injecit ignes, Amor hominũ, DEUS. DEO autem ardere beatum est. Idem me quoque ardor vibrantib9 lingvis eloquenter fulgurans accendit, ut hodierni breviter eloquar incendii felicitatem. Ergo splendidè illapsura per flammas felicitas sonoro spiritu non minaciter, sed amabiliter tonat: ut ex amabili tonitrũ vitalis ignis fulminá amare & cupere condiscamus. Silete cœlestes orbes (si qua tamen fides superstitiosæ veterum philosophiæ haberi potest) incitatissima conversione

svavi-

ſvaviter ſonori. Repentinus hic cæli ſonus verè jucundeq; implet aures noſtras; dum terrarum amantiſſimum cælum non avarè in ſeſe convolvi: ſed amoris ignea ſignificatione liberaliter in terras effundi prænuntiat. Neque verò cæleſtis ignis aurea liberalitas unum terrarum punctum, Hieroſolymam, ſed omnium oras populorum beat: comes enim flammæ validus ventus longê lateq; ſpargit incendium. Quin etiam id eſſe cauſæ interpretor, cur vehemens ignem ſpiritus comitetur, quod amoris calor non ſine ſuſpirio eſt. O cæli ſuſpirantis ab amore ſpiritum vitalem! O animam ſvaviſſimam, mortalitati recreandæ afflatam! O aurã odoratiſſimam, ex immortalis horto voluptatis florentiſſimæ odores virtutis exſpirantem! O fervidum Divina charitate torridæ regionis Auſtrum, beatis caloribus noſtra frigora diſſolventem! At ecce hic Auſter non aquâ, ſed flammâ pluvius eſt. Quam enim aliam præfervidus, præter flammeam pluviam? quam nobiliſſimus invehat ventus, præter illuſtrem. Mirandum præterea eſt, quod ulla ſine nube pluit: niſi quis decoram imbri ſplẽdido nubem appellet ipſam ſerenitatem. Imô verò præclara diem hanc pluvia ſerenavit, cujus guttæ flammæ ſunt. Communi Sole non eget hæc dies,

omnium ideo illustrissima, quòd Sol ipse infinitus, lucido profusus imbre, delabitur. Et quisquam in tam prodiga sui luce non videat, felicissimè terras illius Solis ardore torreri, qui cæli felicitas est. Quanquam ego non facilè à cælo terras distinxerim, siquidem utrobiq; Sol habitat. Habitare tum cœpit inter mortales, cùm ortum occasumq; subiit sempiternus. Nunc autem inter Cælites altissimus, quamvis igneis radiis meridianum calorem terris immittat; non tamen abest: præsentissimus enim calor DEUS est. O calorem amabilem, quo ex ærumnis omnibus concreta & conglobata terra tam feliciter exarsit; ut isto, quod illustre sideribus miramur, cælo pulchrior effulserit. Testor hanc ipsam indicem veri, non tam oculis, quàm animis præfulgentem hodie flammam, quæ cælestes Hierosolymis homines facili trajectione inflammavit in sidera, tum cæli sideribus eos præcellere, fausto regni prodigio capitibus insidens, non indicavit solùm, sed multiplici etiam lingvarum imagine facundissimè prædicavit. Quod autem aliud beneficus Divini Solis ardor excitaret incendium, quâm quod homines in stellas accenderet, non eas, quæ noctem ac tenebras non vincerent; sed quæ beatissimam lucem diemq; non occidentem aperi-

aperirent? Dies igitur è ſideribus nata eſt, quam diurnæ lucis Author, quem intuemur, Sol ipſe afferre non potuit. Etiam nunc meridiano in Sole altiſſima nox animos cæcaret: niſi veſtro, bona ſidera, beneficio Divina terris dies illuxiſſet. Vos, ô ſtellæ noſtrates, validiori quàm cæleſtes, impulſu incitatæ orbem terrarum velociſſimo curſu illuſtrâſtis, ad quas circumvehendas non beatarum aliqua mentium, ſed ipſe præpotens DEUS omni ardore ac ſpiritu adniſus eſt. Vos ô flammæ ſalutares, vel ipſos frigidæ mortalitatis animos facilè inflammâſtis, quia vos amor immiſit. (a) Urbem Romam deformi ædificiorum ſqualore ſeneſcentem incendit Nero, ut nitidiorem in ſpeciem recoqueret ac reformaret. Sed funeſtiſſima illa Patriæ fax nil aliud potuit, quàm incendere ac demoliri. Vobis ea gloria reſervabatur, amantiſſimi Numinis optatiſſimæ faces, ut efficaci veſtro incendio non una tantùm urbs, verûm etiam orbis terrarum univerſus, poſito vitiorum ſenio, ad primigeniæ virtutis decus juveneſceret. Quare non eſt, cur illa nos diuturna expectatio torqueat, (b) ut è rogo ignis extremi cælum novum, ac terra nova naſcatur: quoniam id nobis ignes hodierni beneficium bea-

 tiùs

(a) *Svet: Neron: c. 38.* (b) *2. Petr: 3.*

tiùs repræſentârunt: cùm ſine naturæ clade ac vulnere terram verterint in cælum. Sed urbium nulla feliciùs arſit, quàm Roma, quæ Trojanis olim è flammis ad regnum nata terrarum, è Divinis deinde ignibus ad commune cum DEO imperium renaſcitur, bis felix inter urbes Phœnix, quam tum terrenum, tum cæleſte incendium ſplendori parit ac Regno.

CÆLO DONATA TERRÆ SIDERA
Sive
De die Sanctis Omnibus Sacro.
Ad Gregorium XV. Pont: Max:
In Sacello Pontificum Quirinali.

ORATIO XVI.

CÆlum illud altiſſimum, quod emeritæ lucem virtutis cælat, anniverſariâ pompâ hodie recluditur, B. P. Quid autem in recluſo ſpectabiliùs cæli ſuſpiciamus, quàm ſidera? Tam enim veræ beatiſſimæ regiones illæ, quàm falsò ne-
ſcio

ſcio qui Eliſii campi (a) *Solemq; ſuum, & ſua ſidera nôrunt* : quæ contuenti mihi afſulgent adeò, ut ſubditorum volubilis fulgor aſtrorum rudis quædam horum adumbratio, atq; ipſa eſſe umbra videatur. Quod ubi paucis attigero, quidni veteri proverbio cælum digito dicar attigiſſe. (b) Principio igitur è primigeniis aquis formoſiſſimi ſtellarum ignes degeneri partu extitêre. At vos, æternitatis feliciſſimæ ſanctiſſima lumina, è fertiliori piarum humore lacrymarum educta, ſublimiùs enatâſtis, formoſiùs enituiſtis. Facilè nimirum lacryma igneſcit in ſidus, quia liquor Amoris eſt. Illo præterea è liquore ſolidæ felicitatis exorta eſt nunquam occaſura diuturnitas. Neque enim occaſum habeat ea felicitas, cui vel ærumnoſa lacrymæ cadētis unda lætiſſimus oriens fuit. Cogor hîc vetus caſtigare proverbium; non enim eſt quædam, ſed omnis flere voluptas; cogor Divino cum oraculo exclamare, (c) *Beati qui lugent.* Jam verò Platoni ſi licuit naturâ magis, quâm intervallo, â nobis diſſitos cæleſtes orbes è noſtrorum deliciis elemētorum ſplendido mendacio conglobare; cur non ego vos, cognata nobis altiſſima ſidera, delibatas

(a) *Virg: Aenei:* 6. (b) *Gen:* 1. (c) *Matth:* 5.

è terris cæli delicias veriſſimo preconio appellem? Scitum illud eſt, Sanctiſſimorũ hominum integritatem, etiam inter natale terrarum cœnum cæleſti ſæpè luce ſtellatam, oculos animosque traxiſſe intuentium in admirationem ſui. Nimirum admirabiliora cælum ſidera non habet, quàm quæ ipſi ſanctitate præfulgentia naſcũtur è terris. Animadvertit ætatis noſtræ nimia perſpicacitas recentium partu ſtellarum ſoboleſcere confine hoc terris cælum, atq; affine id eſſe terrenæ concretioni ex illo clariſſimo ſplendidæ genituræ indicio interpretata eſt. Cur ergo ſummam Cælites inter atq; homines affinitatem intercedere nobis non gratulemur: cùm ſuos illi reparent immortales è noſtra mortalitate Luciferos? Neque verò innata cælo cum noſtratibus aſtra, cæteris longè laudibus minora, contendant. Illa, quanquam multitudine immania, coguntur tamen in breviſſimæ recenſionis anguſtias: hæc ipſo numeroſiora numero iis tacita vocibus humanam ludere curioſitatem videntur. (a) *Numera ſtellas, ſi potes.* Sua illa magnitudine utenda citerioribus ex orbibus vix impetrant, nobis ut ſaltem minima videantur: hæc in brevitate corporis mole virtutis maxima extrema illa ex o-

ra

(a) *Geneſ.* 15.

ra & determinatione mundi adeò terris conſpicua ſunt; ut ipſo, quô capiuntur, majora cælo, uno minora DEO eſſe fateamur. Alternus illorum fulgor, ad ſolem obſcurus, ac tanquam lucifugus, nocte ac tenebris indiget, ut fulgeat: horum autem ſplendor conſtãtiſſimus in ipſa Divini Solis infinita luce ſpectabilis meridianam illam illuſtrat æternitatem. Quid, quòd illorum & formoſa claritas maculis infuſcatur, & præclara formoſitas nævum habet; horum verò ſincerè nitidam pulchritudinem nulla decolorat labecula, quòd illam abſolutiſſimæ candor innocentiæ coloravit? Quid, quòd in eorum aliquo flos ipſe lucis, gravi terrarum umbræ obnoxius, non rarò langveſcit ac deficit, in hiſce autem lucida floreſcit æternitas, quod â terrenis remotiſſima tenebris ſuo ſemper apricantur in Sole? In illo quidem ſplendidiſſimo cælo (a) *ſtella differt a ſtella in claritate:* non tamen velut iſtarum aſpectabilium aliqua in lucis patria caligat, ac degenerat in tenebras, imo verò earum vel minimam (ſi minima eſſe poſſit, quæ DEO grandeſcit) ſtellam eſſe omnino perneges, niſi Divino ipſo cum Sole conferas. Quàm longè igitur pulchriora eſſe arcana hæc lumina exiſtimamus, quæ Patrium pulchritudinis cæ-

(a) 1. Co: 15.

lum pulcherrimum faciunt. Quàm longè eadem splẽdidiora, quæ Solis infiniti sidera sunt. Non hæc splendidè mendacibus fabulis, at debitis cælo virtutibus lucent. Non in varias ferarũ facies efferata crudeliter rubent: sed ipso DEO, quo felicissimè ardent, benignissimè affulgent. Neque enim beneficiis affulgere non possunt, quorum ardor & fulgor Amor est. O nostra igitur verè aurea sæcula, multò vetustis beatiora, quæ terrestrium lumine siderum illustrius aurescunt! O verè amica sidera, quæ vestro nobis occasu, quàm Solis exortu clariores dies distingvitis: vestrarum magis fulgore virtutum, quàm cælestium luce flammarum stellatum axem circumvolvitis: quodq; minora incitatorum orbium astra nequeunt, universam hac una anniversaria die splendoris pompam explicatis, ut expeditam ad sempiternæ felicitatis domicilium viam quàm clarissimè præmonstretis! Unum jam illum addite illustri cumulum beneficio: Divinam, qua svavissimè ardetis, flammam hodie nobis impertimini: ut addita vobis aliquando sidera feliciter fulgeamus.

PU-

PUER MAGNUS
CORAM DOMINO
Sive
De S. Joánnis Baptistæ natali die.

ORATIO XVII.

ADmirabili Divinitatis consilio Divini Præcursoris Joannis natalis dies natalitiam Infantis DEI noctem brevi temporis intervallo præcurrit; ut, qui vel in puerili corpusculo magnus coram Domino cælesti oraculo præmonstratus est, cum Domini mox orituri Majestate (quantum servo fas est) magnitudinem ipse suam indicet esse propiùs comparãdam. Utrunq; idem inter Cælites nobilissimus interpres Gabriel prænuntiat: neque enim de Joanne præfari poterat alius, nisi qui DEUM divinè prædiceret. Virginalis quidem Mater conceptæ Sapientiæ tacitam infantiam æmulata, quod castissimo utero clausit, infinitum cõtracti Numinis miraculum modestissimo silentio involvit. At inter deserta terrarum clamaturæ cælestis vocis præmonitum Patrem Zachariam nisi du-

bitationis pœna mutum fecisset, ejusdem generandæ vocis admirabilitas facere potuit elingvem. Nec tamen admiror ab infante filio muto Parenti redditam deinde vocem: cur enim vocis Pater conticesceret? Quanta verò ille tuæ, Joannes, excellentiæ testificatio? Quando ut te necdũ natum Dominus coram se magnum cominus ostenderet, suæ magis impetu charitatis, quàm officiosæ festinatione Matris ad montana provectus aspreta, honorificè invisurus accessit? Tum verò benefico tu Solis accessu te ipso major, clausis oculis perspicax Solem ante vidisti, quàm diem cerneres: ante adolevisti ad sanctitatem, quàm náscereris ad vitam: totius corporis Numen adorantis loquaci motu totum te vocem esse persvasisti, qui fari nondum poteras: prærnaturo gaudio gestiens, & Maternorum viscerum intra compedes liber, adultorum more tripudiasti. Sed jam sterilitas animis parit: ut post Virginalem fœcunditatem majus admiremur nihil. Enimverò decuit anum puerperam ejus esse Parentem: qui ætate quidem puer esset, at consilio senex. Quare etiam à puerperio jure pronuntio sterilem Elisabetham, sed ad vulgares partus, quæ diu cunctata est parere; ut laudabiliter actæ totius vitæ nixu

coram

coram maximo Domino magnum, ipsaq; Matre majorem fœtum ederet, utque in uno filio decorum omnium fœcundissima prædicaretur. Jam verò vix natus puerulus tantus est, ut ejus robustissimæ Virginis brachiis excipi gestariq; debuerit, quæ DEUM sinu sustineret. Nulla videlicet aptiora nobilissimo infanti cunabula inventa sunt, quàm Divinæ Matris amplexus. Virginalibus ulnis, Numinis immensitatem complexuris, metienda fuit Joannis magnitudo: cui singularis illa fuit concessa Divinitùs prærogativa, ut maximæ Virginis brachia ipso Numine prior impleret. Vultisnè insignis hujus pueri magnitudinem, morali æstimatione majorem, suo nominis pondere ac pretio æstimare, Aureum *Gratiæ* nomen, quo illustratur, penditote. Nullus autem sapientum ei nomen aptum imposuerit, una id poterat, quæ Joannis decora metiretur, ipsa Numinis infinita Sapientia: ut merito nomen hoc cum augustissimo Divini Liberatoris nomine in cælo natum, ac cælesti amplitudini par non hominum, sed Cælitum voce primum potuerit enuntiari. Hæc habui, quæ (sicut decet) de Puero modicè, de magno timidè dicerem. Vos è puerili magnitudine longè majora virtutis, quàm ætatis reliquæ incremen-

crementa conjicite. Quare non dico gigantæa virtute Puerum ab incunabulis ad sylvas demigrâsse, quod angustiis cum domesticis, tum urbanis capi non posset: hispidas cameli exuvias induisse, ut sine Alcibiadis Sileno sub corporis rustica specie augustam animi pulchritudinem tuto latere ostenderet: parcè solitum vesci silvestri melle, quod in dulciorem abunde refunderet orationem: ipsius præterea testificatione Veritatis inter natos mulierum maximum altissimè tum surrexisse, cùm fortissimè cecidit. Una me ad extremum ingenua tenet ambitio, ut me cognominem tuum coram Domino magnum, atq; in laudes te dignas, qui totus Divina vox es, moribus, quàm vocibus, esse velis eloquentiorem.

INFANTIS DEI CORONA

Sive

De S. Stephano Protomartyre.

Ad Gregorium XV. Pont: Max:

In Sacello Pontificum Vaticano.

ORATIO XVIII.

INfantis DEI regium caput coronari decet, B. P. Quæ poſſit autem corona Stephanô aptior inveniri, cujus vel ipſum nomen corona eſt? Quidni etiam perlibenter homine coronetur DEUS, humana qui membra peramanter induerit? Igitur, ſi Sanctiſſimi Juvenis virtutem coronariam magis fuiſſe, quâm nomen, oſtendero, mea quoq; oratione coronatum Infantem DEUM exiſtimabo. Aurum Reges coronare atque ambire ſolet: ſive quôd metallorum Princeps, plebeja capita faſtidiens, Principis verticis jure ſuo ambitioſum eſt: ſive quôd regios mores, ut illuſtriſſimi atq; chariſſimi ſint, aureos eſſe oportere ſignificat: ſive tandem quòd ipſa quoque Re-

gum

gum opulenta libertas vinculis est obnoxia, sed aureis. Atqui aurum nullum coronando nobilius, nullum exprimendo dignius, nullum denique devinciendo DEO potentius inventum est, quàm Stephani Herois clarissimi aurea virtus, quæ invicti capitis pulchra per vulnera liberaliter emicans, Divinam in coronam prima resplenduit. An non auream eam virtutem jure dixerim, quam Divini Sangvinis pretiosa vis inauravit? Quam sempiternus ille Sol sibi semper apricam, sibi quoq; simillimam coloravit? Auream certè prædicant honestissimæ illæ viduæ, quas in clientelam sibi commendatas suæ salubriùs modestiæ, quâm alienæ stipis, auro aureus juvenis recreabat. Eadem hæc virtus aureo torrente affluenter erumpebat ex ore, cùm pertinaciter ferreos Hebræorum animos eloquenter obruebat. Ut mirandum non sit, quòd cælo delapsus, tanquam Cælitum aliquis, hostibus videbatur ex vultu, cujus Divina vox non terrenum, sed cæleste aurum sonabat. Eadem tandem affluentiùs aurea plurimo exundavit ex vulnere, ut beata Sangvine ferreum sæculum aurescеret. Quare tam dives ad spectaculum cæli theatrum ille meritò vidit aperiri, qui virtutis non minùs, quàm sangvinis, aureas venas aperuit. Et

sanè

ſanè medium diſcedere cœlum, ac penitùs laxari debuit; dum auro plueret. Neq; enim âëria nubes impuriſſimis aquis atra & ſordida, ſed cœleſte ſidus nitidis cœli opibus fœtum aureæ pluviæ Divitias effundere poterat. Cœlum autem non habuit magis non aureum ſidus, quàm Stephanum, quo aurum ipſum minûs aureum eſt. Minervæ, hoc eſt, fictæ Sapientiæ, natalem diem pluvio auro in inſula Rhodo fulſiſſe aureum quidem fuit mendacium Pôëtarum, quod tamen aureo cruoris hujus illuſtriſſimi diluvio pulchrè proluſerit: ſiquidem illo Stephani fortiter cadētis cruore penetralis cœli ſerenitate patefacta, natalitia corporatæ Sapientiæ lux viſa eſt illuxiſſe ſerenior. Impluētis enim auri nubilum ſerenitas eſt. At ô inter fauſta ſpectacula funeſtum prodigium! Ecce unà cum innocentiæ auro crudelitatis lapidibus pluit. Quin imò (quod felix & fauſtum ſit) inter auream pluviam pluvii lapides gemmei ſunt. Nimirum decet auro proxima ſaxa gemmaſcere. Jam verò aureum te, juvenis integerrime, declarat vox illa morientis extrema verè aurea, quæ tuis veniam interfectoribus à Divino Numine precatur. Cur enim aurum ea non ſonaret, quam artifex Amor expreſſit? Sed bene habet. Suum orbem

aurea

aurea corona perfecit, ſive præclaræ vitæ curſus pulcherrima morte concluſus eſt. Ergo naſcenti DEO ſplendidè te morientem eleganter adjunctum, tanquam Divino decorum Regi, coronario nomine inſcriptum, coronarium aurum gratulamur.

SOL ALTER
Sive
De S. Thoma Aquinate.

ORATIO XIX.

QUoniam hæc dies Reipublicæ Chriſtianæ univerſæ illuſtris (Cardinales ampliſſimi religioſiſſimi Patres) læto prodigio ſuum habet, quo præfulgeat, Solem, hoc citimo terris, communique clariorem, non Sapientia minùs, quàm ſanctitate ſplendidum, Thomam Aquinatem: niſi videam hodiernæ debitum laudationi argumentum, Solem ipſum non videam. Illud verò vel maximè lætandum mihi eſt, quòd faciliè juxta fuerit ac præclarum, alterum hunc hodie Solem oſtendere: neque enim eloquentiæ luminibus indiget, ut conſpiciatur,

ur,qui ſua ſatis luce cõſpicuus eſt. Quan-
quam ad noſtri Solis adſpectum alienæ eti-
am acceſſione lucis mirificè recreamur,
quam honorariæ coronæ purpura ge-
minavit. Verùm, ut lumen inſolitum
acriter cõtueri poſſimus, primo ipſius cre-
puſculo aſſueſcamus: atque (ut planè lo-
quar) futuræ virtutis fulgorem ex oracu-
lo proſpiciamus. In oraculo enim San-
ctiſſimi viri, tanquam in crepuſculo, Di-
vinæ prælucet indoles claritatis. Ergo
vir ſanctimoniâ inſignis, qui ſuburbana
in ſolitudine ad cæleſtium rerum contem-
plationem conſederat, dum libero ſub cæ-
lo apricatur, prævios appetentis jam Solis
radios prior animadvertit ac prævidet:
Matrem deinde Theodoram, quantum u-
tero gereret felicitatis ignaram, præmo-
net, eum brevi parituram, qui vitiorum
tenebris meridiana in luce caligantem
terrarum orbem illuminaret. Etenim duo
cùm ſint ex ipſa Divinitatis infinita luce
noſtrorum animorũ decora delibata, quæ
tecutienti ad virtutem mortalitati ſalu-
briter affulgent, ſanctitas & ſapientia:
quòd omnia inter homines præclara rara
ſunt; alterutrâ quidem plurimi, utrâque
unus ê pauciſſimis Thomas feliciſſimo mi-
raculo claruit. Ut eum meritò Solem ap-
pellem, qui pæne ſolus inter plurimos, ac
Prin-

Princeps inter paucos gemina laude fulgere videatur. Sed ecce jam Sol exoritur. Proh quantum præpropera virtus in ipso exortu splendoris effudit! Dum jacentem humi salutis nuntiam, Angelicam salutationem cõplicatæ inscriptam schedæ, non alio, quàm sua luce, monstrante cognovit: dum puerili nisu, virili sensu illanè dicam Divina crepundia, an futuræ obsidem Sapientiæ, cæleste chirographum, avidè arripuit: dum, eodem sibi per vim extorto, piis lacrymis perfusus est: dum recuperatum, bonam ut indolem aleret, deglutivit. Ut mirandum non sit, si sapientia citiùs, quàm ætas, adoleverit: hanc enim guttatim cum lacte suxit, unico illam haustu exsorbuit. Et quisquam mihi prædicet: Platonis adhuc infantis in labellis mellificâsse apes, in ore Stesichori cecinisse lusciniam? cûm apibus avibusq; ingeniosior, melle cantuque svavior non ore tenus, primoribusque in labris, sed in imo Thomæ pectore cælestis hospes Sapientia resederit. Hinc amor ille mirabilis pro puerili crepitaculi delicio litteratam aliquam papyrum, pro pomis libellos habendi præ manibus: ut jam tum è nutricis ubere pendulus litteris operam dare videretur. Jam verò illæ in omne vitium lubricæ ætatis pari conatu ad san-

ctimo-

ctimoniæ ac ſapientiæ faſtigium celerrimæ progreſſiones ſupra teneros annos, ſupra æqualium æmulationem, ſupra exſpectationem Parentum, ſupra majorum exempla, deniq; ſupra omnium admirationem, quale ſpecimen jam adultæ in adoleſcentia lucis reliquerunt? Illud ſanè, ut aliquando transfuſo in vultum animi nitore, ex ejuſdem ordinis hominibus perſpicacior aliquis Thomam, tanquam adſpectabilem Solem Suſpexerit. Mihi verò nunquam Thomæ juventus illuſtrior viſa eſt, quàm cùm ad effœminandam in ſuſcepto religioſæ vitæ conſilio virilem conſtantiam ex impudicis tenebris, velut ex Inferis, impuriſſimam furiam dolo malo immiſſam, torre illo non tam vulgari flamma, quàm ſua ſuccenſo perſtrinxit, ac longiſſimè fugavit. Illo, illo torre Thomas Hercule fortior nocentiorem hydrâ fœminam perdomuit: illo inſcriptam parieti crucem nigrum trophæum appoſitè ſtatuit victricis rigido candori caſtitatis: illo denique Virginale cingulum, militare defenſæ Virginitatis præmium, emeritum miles è cælo conſecutus eſt, quo tam ſplendidè dimicavit. Itaque Thomas jam victor victos fratres, cæteroſque domeſticos docuit, nullius mortalium fraudibus viribuſque ab inſtituto

curſu

cursu Solem reprehēdi posse ac retardari. Sed jam Meridies est, Auditores. Quid, cùm de Sole sermo est, post orientem lucem meridiano splēdore magis consequens & cohærens afferatur? Igitur & suæ virtutis, & communis plausûs suffragio ad summum docēdi munus evectus Thomas; dum singulari quadam eruditione ac probitate oculis animisque præfulget omnium; adeò præclarè altissimi partes Solis implevit, ut, qui hoc mecum non videat, meridiano in Sole cæcutiat. Nam quis hoc homine clarior unquam fuit, qui nihil olim contemplaretur acutissimis ingeniis tam reconditum, quod singulari mentis acumine non pervideret: nihil imitaretur integerrimis viris tam difficile, quod cereis in virtutem moribus non exprimeret: qui suæ quasi radios eruditionis, libros edidit plures, quâm alii legerunt: efficaciùs errorum nubes dissipavit, quâm cæterorum hominum vel imperitia, vel nequitia invexit: plus attulit felicitatis & lætitiæ, quâm calamitosis perculsa temporibus mortalitas concupiscere audebat? Testis est Catholica Religio, quæ multis in locis gelido scelerum turbine afflicta, & pæne extincta erudito unius Thomæ calore quâm celerrimè refloruit. Testis veritas ipsa, quæ clarissimis in Lycæis nunquam

quam clariùs, quâm ad Solis noſtri lumen perfecta eſt. Teſtes è Chriſtianæ religionis acerrimis hoſtibus primarii, atque in primis eruditi Judæi duo, qui ſub Decembris finem natum in tenebris Infantem DEUM Thomæ luce noverunt, ac datis manibus adorarunt tribus illis Orientis Regibus beatiores, quibus non ſidus aliquod è minoribus, ſed novus hic Sol ad incunabula Divina facem prætulit. Teſtes etiam Cælites omnes, quorum frequenti lumine, ut iis proximus, ad ima terrarum illuſtranda uberrimè impertiebatur. Teſtis omnium locupletiſſimus teſtium DEUS, cujus illud honorificentiſſimũ oraculum eſt. *Bene ſcripſiſti de me, Thoma: quod ergo dignum à me præmium referas?* Is autem ſua commodùm uſus luce pervidit, quid optimum poſceret. *Non aliud, niſi te, Domine, præmium opto*, reſpondit. Teſtes ad extremum vel ipſæ ſunt Hæreſum profligatæ peſtes, quas illæ doctrinæ aculeis, tanquam lucidis telis, ad internecionem uſque transverberavit. Apollini ob confoſſum Pythonem ludos laudesq; ab antiquis dicatas accepimus: à quibus ea præſertim laude laudabilem Solem docemur, quòd putri concretione conflatum ſuis radiis, velut illuſtribus ſagittis, monſtrum illud nocentiſſimum extinxerit. At quan-

quanto æquiùs tibi, noſtrorum Sol animorum, Thoma, hodierno cultu & laudatione tuis impares meritis proludimus, qui ſplendidæ Sapientiæ viribus nocentiora Pythone monſtra ſuperaſti? Jam verò qui Solis Ortum & Meridiem, majoris tamen incremento ſplendoris, expreſſum â te lætamur, unum dolemus occaſum tibi fuiſſe cum Sole communem. Occidiſti tu quidem, Vir Sanctiſſime ac ſapientiſſime, tibi ſimilis, hoc eſt, vultu ſerenus, animo illuſtris; ſed illa, quæ tibi Neapoli decumbenti ſuprà caput adſtitit, ſtella, præmaturi occasûs tui Heſperus, atratam terris, ac triſtiſſimam noctem denuntiabat: ille, qui, te in cœnobio Foſſæ novæ animam agente Cometes apparuit, miſeræ luctum orbitatis ominabatur. Præſtitiſti te quidem vel in occaſu Solem, qui nova ſidera ſuccenderis: ſed nulla ſiderum lux triſte poſſit deſiderium tui mitigare. Unus tu potes dolorem temperare, quem facis. Quantûm enim jacturæ noſtræ, quôd nobis occideris, ingemiſcimus: tantundem felicitati tuæ, quòd ibi fulgeas, ubi nunquam occides, gratulamur. Quantùm aureo torque, ac pyropo ardentiſſimo exornatus, tuarum illuſtris opifex gemmarum, Sol inter Cælites â nobis diſtas: tantundem nos â terris Solem addi cælo potuiſſe gloriamur.

VIRGO VULNERATA CHARITATE

Sive

De S. Catharina Senensi.

ORATIO XX.

QUid hoc ſpectaculi eſt", incerto ſagittario, ignota ſagitta, ex inſidiis, Virginem innocentiſſimam, noſtrumque ſimul adſpectum vulnerantis? Ecce caſtiſſima teneritudo, vulneri deſtinata, candidus quaſi ſcopus, repentino prodigio defixa riget. Quis vel ferreus miſericordia nō emolliatur? Ecce tenerrima integritas quinque telis transverberatur. Quis vel pumiceus ex oculorum gemino vulnere lacrymis non affluat? Ecce integerrima imbecillitas ſub inſoliti doloris pondere exanimis ad terram ruit. Quis vel ſaxeus graviſſimâ ruinâ non inflectatur? At deprehenſus eſt ſagittarius. Qui enim Virginale cor amãtis vulnerârit, niſi Amor? Itanè verò? Amori aditus non patet, niſi per dolorem & vulnera? Hoccine amantium ſvaviter militantium ſtipendium eſt, ipſa ſui Ducis manu teloque configi? At ò me excordem,

dem, qui non ſentiam, cordis vulnus eſſe Amorem, neque vulnerati Amoris aſſeclas eſſe decere invulneratos! Suas ille ad beneficium aureas manus, ad ſangvinarii furoris turbinem miſerabiliter tornatiles, atque immanium vulnerũ pretioſè liventibus hyacinthis plenas eſſe voluit; ut ad ſui lectiſſimos populi hæc hyacinthina miſſilia facilè ſpargeret. Cor obtulit hoſtili lancea trajicendum; ut amica ipſius vulnera verè amantibus cordi eſſent. Inter acutiſſimos clavos ſuffixis pedibus immortalis properavit ad mortem; ut nos in ejus veſtigiis per vitales dolorum aculeos conſtantem gradum figeremus. O te igitur beatiſſimam, Catharina! ſiquidem, dum tibi Amoris vulnera dant amabilem formam, Amoris tui Amores. Candidus ille in gremio Matris, rubicundus in ſinu crucis, lilium & roſa eſt. Tu quoque Divinæ formoſitatis ſedula imitatrix Virginali candore lilium es, ſed inter ſpinas Amoris, quæ ſuis te punctionibus cruentârunt in roſam. Tunc ſanè viſa es lilium inter ſpinas, cûm ſpineam coronam aureæ præferens, in capite ſeviſti ſpinas; ut vulnerum roſæ reliquo corpori naſcerentur. O roſas mirabiliter purpureas, quas non in turpibus fabulis natas impudicus cruor infecit, ſed in Virgineis
nivibus

nivibus vernantes pudicus ſangvis ornavit, O manus ad labantem Chriſtianam rempublicam ſublevandam ab ipſis vulneribus robuſtiſſimas! Per vulnera enim charitatis divinum ſe robur infudit. O pedes ad ſalutaria itinera obeunda, dum perforamini, alatos! Suas enim foraminibus Amor addidit alas. O pectus frigidiſſimæ mortalitati ad virtutem inflammandæ in tempore patefactum! E ſaucio enim amantis pectore plus ardoris, quàm cruoris erupit. Tu verò divino ſtellata ſtigmate Catharina è *cœleſti* patria felicitatis, ubi vulnera occalleſcunt in ſidera, natalibus terris ſic affulge; ut Senæ tuæ ſub te refloreſcant, nativo tanquam ſidere charitatis.

PIA NOBILITAS

Sive

De S. FRANCISCA Romana.

ORATIO XXI.

QUi Romæ pridem, nunc cœli matronam Franciſcam laudaturus, Romanam dixerit, uno ille verbo decora complexus omnia laudarit

rit satis. Etenim cum nobilitate sancti-tatem difficili raroq; fœdere geminare Romanum est. Habeo igitur, unde sanctissimam hanc fœminam verè Romanam esse vestræ, Cardinales illustrissimi, purpuræ bono in lumine Sole clariùs ostendam. Generosis vix dum orta natalibus illud adultæ specimen sanctitatis dedit, ut in parentis, aut nutricis complexu nunquam effœminatum aliquid, aut joculare puellari mollitie, ac levitate balbutiverit. Diceres matris illam in gremio generis admonitam, parem nobilitati morum maturitatem meditari. Diceres maturo divinam silentio infantem dicere, Romana sum. Imò non siluit moderatissima ejus infantia, si quando vel virorum obtutibus, vel ipsis paternis oculis à fasciolis nudula exponetur. Et quoniam per ætatulam ex ore in voces exire non poterat, affluentiùs ex oculis liquata in lacrymas eloquentia pro pudore miserabiliter perorabat. Mirari jam desino, quare paternæ manus attactu blanditias (ut mos est) pudibundæ faciei fieri passa nunquam sit, cuius virginale corpusculum nec oculorum conjectu contingi se sine ultricibus lacrymis pateretur. I nunc, & vulnerato priùs pudore, quâm pectore, Romanæ serò vindicem pudicitiæ heroinam demirare Lu-

re Lucretiam Roma vetus: robuſtiorem ſanè inermis Virgunculæ Virginitatem, unis alienos oculos manuſq; lacrymulis abſterrentem, juſtius Romanam prædicat Roma recentior. Hæc tenera naſcentis indoles virtutis fuit. Ex illa vos provectæ decora integritatis interpretamini. Breviſſima hæc certè oratio adultam ad cœlum uſque ſanctitatem complecti non audet, quæ in ipſis cunabulis maximæ par eſſe non poſſit. Nam quæ dicendi vis è penetralibus illis cautiſſimæ cuſtodiæ latebris in hanc publicam lucem educat, publico abhorrentem cœtu, lucifugam virginitatem? Quis eloquentiæ ſonus exprimat illum Cælitibus eloquentiſſimum innocentis puellæ ſtrepitum, unam in ſe pro ſceleribus innocentiam diverberantis? Quis orationis color illum non viola tinctum, ſed ipſo cæleſti coloratum amore, divinæ amantis pallorem expingat? Quæ tandem efficax exæquet facundia illas Numinis expugnatrices, ac nunquam non exorantes, pæne aſſiduas ſolitariæ preces? Ut quæ magiſter Virginum Hieronymus cuſtodiendæ præcepta Virginitatis è cœleſti Palæſtinæ ſolitudinis Academia Romanæ nobilitati præſcripſerat: hæc omnia una ſibi ſeveræ virtutis tenera magiſtra candidiſſimis moribus, animo cor-

porique Francifca Romanè ac prope divinè infcripfiffe videatur. Sed nubendum Virgini eft, ut integritas foboleſcat. Quæ jam caftitas verborum nuptæ pudicitiam exſequatur? Liberos fuſcipit pudica fæcunditas. Quæ facundia virtuti, quàm vitæ; cœlo, quàm terris fœcundiorem, innocentiffimæ parentem prolis extollat? Ut Romana Cornelia, Campanæ matronæ ornamentis Gracchos fuos præferente, felicior hæc mater liberos Romanis moribus ornatiffimos, cœloque jam à pueris maturos præferre poffit. Etenim filiolum, Evangeliftam nomine, fanctimonia morum futura prævidentem, ut divino propior Soli pervideret omnia, novennem præmifit in cœlum: quem brevi fororcula pæne è cunis Agnes confecuta, invitante priùs ad fugam cœlefti columba, roftroque facem præferente ad fidera, matre vivacior puella, quôd citiùs immortalitatē inchoaret, feptennis ad Cœlites prævolavit. Matrem cœlo digniffimam in terris orbam relinqui non tulit Cœlitum aliquis humaniffimus: atque orbitatem cum fœnore compenfaturus, puerili fpecie veluti mortalitatis odoptivus, integerrimæ fœminæ contubernio pofthabuit cœlum. Jam verò; fi Francifca rem domefticam curet; quis laudator pruden-

tius

tius dicat, quâm illa fecerit? Si DEO vacet ac ſibi; quis diviniùs orator prædicet, quâm illa vixerit? Si virum hoſtile vulnus lecto affigat, ſi tenerum filium Tyrannus extorqueat; quis generoſiùs narrator exponat, quâm illa pertulerit? Quodſi ad heroica hæc balbutit oratio: ad extrema illa jam appellentis ad cœlum Franciſcæ diviniora facinora penitùs obmuteſcat neceſſe eſt. Quare omitto, quòd ab humanis nuptiis, ipſi nubilis DEO, divinos amplexus abalienato ſæpe à ſenſibus animo prælibârit: quôd in præſentiſſimo ſempiternæ Sapientiæ complexu futuros calamitoſorum eorum temporum exitus præſenſerit & prænuntiarit: quôd irati Romæ Amoris, in ultricia fulmina jam procudentis ignes, ſupplici lacrymarum artificio emollitos, in auream beneficiorum pluviam impetrârit. Nihil præterea dico de religioſiſſima illa, quam Romana indole, divinoque conſilio inſtituit, honeſtiſſimarum familia fœminarum, quæ Veſtalibus longè Virginibus illuſtriores, non prælucentem ſuperſtitioni flammam in templis, ſed ſpecularem pietatis ignem, in animis inexſtinctum cuſtodirent. Verùm qui vivam uno laudare ſilentio potui, non poſſum tacitus præterire morientem. Tua mors, matro-

na ſanctiſima, tuas in laudes animat orationem meam. Tuus ille ſpiritus extremus, virtutis inuſitatæ ſvavitatem exſpirans, illud impellit ut exclamem : O fœminam, quòd Romanê vixeris, cœlo digniſſimam ! Non enim te tanquam Auguſtam neſcio quam, huic proximam templo, Fauſtinam impuriſſimis nobilem flagitiis, ſuperſtitioſa adulatio ex Senatus conſulto Divam appellavit : ſed patritia virtute, quàm ſtirpe nobiliorem Vaticana religio cœli ſuffragio, terrarum plauſu Cœleſtes inter aſſeruit. Tu nunc ſacroſanctum patris imperium tuæ ſartum tectum ab omni periculo propitia conſerva: utque mortalis olim ſanctitate, ita nunc immortalis patrocinio tuæ te Romæ oſtende Romanam.

MATRONA ROMANA ADEOQ: CÆLESTIS

Sive

De S. FRANCISCA Romana.

ORATIO XXII.

DAbit hanc orationi meæ veniam pietas in Franciſcam veſtra, Principes illuſtriſſimi, ut non tam eam

eam appellet natalis Romæ nobilitate Romanam, quàm familiaris cœli felicitate Cœlestem: illud enim sangvinis, at hoc decus virtutis fuit. Vultis hoc ipsum, cœli testificatione clarissimum, cœlesti luce clarius intueri? Agite oculatos pro oculis animos tantisper intendite. Ecce autem vix egressa cunabulis Francisca in media domus celeberrimæ frequentia conclavis intimi penetralem solitudinem frequentat. Hic à parentum sinu frequenter exulat, ut Cœlitum sese jucundiores in amplexus insinuet. Quare nunquam minus sola videri potest, quâm cum sola est, ad quam frequentissimos cœli cives allicit solitudo terrena. Hic sua cum cœlo amoris fœdera pias inter preces puella balbutit eloquenter! supplex enim pietas, quamvis balbutiat, eloquens est, hic puellarium contemptrix ludorum cum Cœlitibus Virguncula colludit; cui vitæ sanctitas, vel adultis ac robustis laboriosa, primæ imbecillæque ludus ætatis est. Jam nubilis summopere cœlo placet; quòd hominum oculos pudicè latet. Devolate jam Romam cœlestes hospites, ubi castissimi charissimique jus habetis hospitii: nec vos pudeat; quando cœlestis in urbe fœmina reperitur; cœlo relicto, civitate donari. Bene

eſt. Audierunt longinqua Cœlitum concilia, ingenti minorem voto, juſtiſſimam vocem meam. Eorum aliquis omnium nomine icti fœderis mutuæque benevolentiæ internuntius, formoſiſſimus cœli puer, ad ſanctiſſimam hoſpitam divertit, diviniſque moribus moram ipſi ſvaviter facientibus, hoſpitium amavit pro patria; quòd cœlum invenerit in terris. Terrenum certè non videbatur domicilium illud, in quo Romanæ ſidus virtutis habitaret. Ut mirandum nemini ſit, ſi gemina illius proles, recens nata, prævolarit in cœlum: quò enim aliò congruentiùs ſideris lux abiret? Jam verò quàm ſvavem amoris divini flammam alebat ille tuo, Franciſca, non tam lateri, quàm cordi ſemper hærens, tua fax, tua lux pulcherrima, cœleſtis comes? quàm celeri felicitate immortalis uſuræ lucis mortalibus oculis aſſveſcebas? quàm bono in lumine inoffenſo pede graſſabaris ad gloriam virtutis via? quàm beati ſine nube, ſine nocte dies tibi affulgebant, quæ nunquam occidentem Solem habebas contubernalem? Sed quid ego familiare Franciſcæ cum Cælitibus contubernium admiror, cùm familiariſſimè DEO illa blandiente uteretur? nam & amabili pueri ſpecie infuſum collo, amantiſſimum Numen

men arctissimo familiaritatis nexu, hoc est, mutuo amplexu obligabat: & divino è pectore, non minùs charitate, quàm crudelitate vulnerato, plus caloris, quam cruoris, exsugebat; ipsumque (si dicere fas est) bibebat amorem. Jure igitur abalienata sæpe à sensibus rapiebatur in DEUM, quæ coelo esset, quâm terris conjunctior. Jure etiam obscuros incertosque rerum exitus prævidebat ac prædivinabat, quæ divina magis, quâm communi luce frueretur. Illud jam reliqvum est, ut conciliatam tibi, foemina integerrima, coeli familiaritate coelestem appellationem gratulemur. Sed fortassis erravi, qui coeleste nomen à Romano discrevi. Quamobrem, quòd coelo charissima vixeris, verê te Romanam pronuntio. Coelum enim amicum habere Romanum est.

EX MILITE IMPERATOR.

Sive

De S. IGNATIO Lojola.

ORATIO XXIII.

QUicunque fuit, qui Salmoneo confidentior non imitabile fulmen æneo tormento imitatus verè tonare ac fulminare cœpit; næ ille in publica damna consultissimus felicitati nostræ nesciius consuluit, Patres. Fulmineus enim, ejus inventum, globus nisi muralis machinæ bellico fulmine non expugnabilem militem IGNATIUM, ita ex arce Pompelonensi deturbavit, ut ad militiæ melioris fastigium extulerit. Artificiosus ille ignis felici vulnere ex Milite conflavit Imperatorem. Profuit infringi tibiam, atque eum claudicare; ut virtutis via sublime ad imperium quâm celerrimè grassaretur. Ergò illo præcipiti casu, qui caducæ gloriæ milite dignum stipendium fuit, tantùm resiliit animus ad altissimam laudem; ut servilibus ambitionis castris relictis, ingenuus trans-

transfuga juxtà nobile, ac difficile sui ipsius regnum occuparit. Affulsit è cœlo divina Mater cum puero Deo regiam sui victoriam meditanti Tacuit illa quidem: sed ipsa taciturnitas vocem illam Imperatoribus faustissimam sonabat, *In hoc signo vinces*. Vitiosa enim consvetudo facilè vincitur Duce Virgine, quæ, quam utero clausit, manibus præfert atque offert Sanctitatem. Quare, cum primûm voluptatum fugam vix dum cogitanti tam liberaliter obvia summa Sanctitas sit, injuria miretur quispiam, quòd propemodum ante de se triumphare potuerit, quàm superare se cœperit: antequam militare virtuti, sibi ex virtute noverit imperare. Militisne vulgare, an singulare Imperatoris id robur fuit, voluptariæ Sirenis insidias Ulysse cautiùs, domesticæ querelæ impressionem Partho velociùs, quamvis debilitato crure, fugiendo vincere? paternæ ditionis atque opulentiæ splendido contemptu, tanquam aureo tormento, citra Gigantum commentitiam audaciam, supra eorundem felicitatem, cœlum expugnare? suspensis ad Montis Serrati Virginem armis ex armata licentia trophæum inermi statuere castitati, pretiosam vestem cum lacera commutare, hoc est, Codro nobiliorem
non

non urbis unius, ſed orbis terrarum universi, & communis patriæ defenſorem induere? teterrimorum trium hoſtium quaſi triumviralem in homines tyrannidem ſui corporis excrutiatione Bruto ſeveriùs in ſe ipſo jugulare, ſalutaribus pœnis proſtrato ac ſemivivo corpore; ad cœlum uſque, ſive ad virtutis Capitolium victore animo evectum per ſeptem ſolidos dies ſempiterni gaudia triumphi jam percipere, & miramur, quòd etiam affecto pede in Palæſtinam ad illa divinæ charitatis æſtiva tam expeditè excurreret, qui tam facilè prævolaret in cœlum? Nimirum in curriculo pietatis ſine ſcelerum ſarcina nemo claudicat. Et ſanè quonam vel infirmum corpus properaret, niſi ubi animus habitabat? Ibi ſui victor, ideoque fortiſſimus, divini Liberatoris pœnis altius, quàm pedibus, impreſſa ſalutaris victoriæ cruenta veſtigia ut ſemper in oculis ferret ad imitationem, pias in lacrymas ſolutos oculos cum iiſdem commiſcuit. Hic enim vero non potes, Ignati, tuam illam planè cœleſtem vocem uſurpare, *quam terra ſordet dum cœlum aſpicio!* quandoquidem regiam ad Cœlites viam, divini ſangvinis luce ſtellatam atque illuſtrem, avidiſſimè jucundiſſimêque contemplaris in terris. Vi-

am

am dixi? imò metam laboris ac pugnæ, cœlum videlicet ipsum tibi terra repræ-sentabat, in qua Cœlitum frequenti præ-sentia & colloquio fruebaris. Ut in il-lo vincendi tyrocinio quantum victoria-rum reportaveris, intelligamus, qui vi-ctores inter ac triumphales cœli Duces tanquam victor emeritus honorificè ex-cipereis. Tanta vis est vincentis omnia virtutis, ut, dum pugnat in terris, cœ-lum expugnet ac patefaciat. Patefacta penetralis cœli Regia, Solem vidit incon-nivens, sed triplicem illum Solem, qui uno lumine ac numine unam, ortus oc-casusque nesciam, immutabilis æternita-tis meridie diem conficit beatissimam. Idcirco autem vidit, quòd ad mortalis præstigias lucis oculos clausit. Neque verò unam à sempiterno Sole constantem lucem hausit, sed vitalem quoque ignem sine fabuloso Promethei furto contraxit ut re, quam nomine, ardentior esset Igna-tius. Testis esto instar omnium unus ille ob impudicas flammas ad pudicitiam frigidissimus juvenis, quem ad flagitii fugam vel in ipsis gelidissimis aquis exæ-stuans ardor inflammavit Ignatii. At tu priùs exemplo, quâm voce, eloquens in-scribe in chartis, quas pridem moribus expressisti, vitiorum victrices in virtutis palæstra

palæstra exercitationes. Rudis adhuc litterarum docere ne metue: ad animos enim divinitus illustrandos inflammandosque satis eruditus est, & cui DEUS affulget, & qui DEO calet. Scribe: nam scribendo pinges, atque inter monita sapientissimè à te scripta suspiciet posteritas animi picturam tui. Scribe divinæ studia militiæ: nam simul in iis, Cæsarianis elegantiores, inscriptos legemus victoriarum commentarios tuarum. Non tamen decuit victricem istam fortitudinem diu exarmatam esse doctrina, Pallas ipsa, superstitiosi sæculi Dea fortissima, eruditione magis, quàm casside, armabatur. Ergo qui maiora libidinum monstra superavit, per ludum inter pueros puerilis litteraturæ vicit inscitiam. Quin etiam pugile Cleanthe robustior, ab summa inopia rebus omnibus planè spoliatus ac nudus, ut pugilem decet, erudito in pulvere cum sexcentis difficultatibus tamdiu depugnavit, donec melioris eruditionis lauream retulerit: atque ex altissimo virtutis puteo plus veræ sinceræque sapientiæ hausit ad animos beandos, quàm mercenarius idem Cleanthes lutulentæ aquæ extraxerit ad hortos irrigandos. Jam verò toti par orbi terrarum juvando, imperatoria Ignatii virtus

tus non capitur angusto pectoris unius Imperio. Jam milites regit, & quidem paucos, nimirum sui similes: præclara enim rara sunt. I, tua castra, quamvis parva, omnium nate saluti gentium fortissime Ductor, promove. Principem generis humani arcem, Romam aggredere tuendam: ut in illa genus humanum omne tuearis. Adspice, ut feliciûs, quàm Romano Imperatori, tibi militat æther. Non enim Æolus, ventosa fabula, levis armaturæ milites, inanes videlicet ventos in tuam opem armatos fundit ab antris fabularum: verùm è cœlesti conclavi Divinitatis Imperatorum verè Maximus præpotentem operam suam Romana jam munimenta ingressuro propitiam pollicetur. Hic prima congressione vicisti, quæ vinci postrema vix potest, prosperos sanctimoniæ successus procaciter allatrantem invidiam hominum perditorum. Neque voces habuit alias, quibus ipsa se gravissimè vulneratam profligatamque fateretur atque ingemisceret invidia, præter calumnias. Tu tamen hoc vocale monstrum etiam silere, ac silentio victrici plaudere innocentiæ, elisis veritate faucibus, coëgisti. Ab ista honestissima victoria quâm gloriosè triumphâsti, cum piam religiosamque militiam

tiam, unis virtutibus pugnantem vincentemque, Vaticani oraculi divina planè authoritate ſanxiſti: cum ſanctiſſimis legibus contra omnium corruptelam temporum armâſti: cum denique â Numine nomen omenque ſanctitatis imponens, Societatem JESU meritò appellâſti, cui ſeſe ille naſcenti è cœlo propitius adjunxiſſet? Atqui triumphale gaudium (pace tua dixerim) nimis religioſus tibi dolor infuſcat, quod tuus te exercitus imperio digniſſimum ſibi præficit Imperatorem. Repugnes licet, alias invictus, nunc tamen expugnaberis. Iſta namqve ſemper victrix præſtantiſſima virtus in hoc vinci meretur, ut jubeatur imperare. Quis jam enarret, quâm multi, quâm inſignes viri divinæ huic militiæ nomen dederint, quam ſuo nomine donaſſet ſui prodigus in homines, cum ſe humaniſſimè fecerit hominem, DEUS: in qua etiam, ad animorum divina incendia Dux ardentiſſimus, facem præferret Ignatius? Quis præterea breviſſima oratione complectatur ubique locorum quâm citiſſimè collocata cœleſti Ducis optimi ardore bellicoſæ plurima ſtativa Societatis? Redditus templis nitor, additus pietati calor, diſcordis coniugii domeſticum incendium pio divortio reſtinctum, vile ſpolium

ium castitatis libidinum flammis prostitutæ divinis ignibus consecratum expiatumque pudendis lascivæ impudentiæ telis obnoxius Virginitatis pudor divinarum protectus flammeo nuptiarum, puerilis ad virtutem indolis igniculus ad civilem splendorem bonis artibus excitatus, hydrâ qualibet capitalior pestis, Hæresis, eruditis disputationum facibus ambusta, inveterata Deorum superstitio sui damnata supplicio ludibrioque Vulcani, suas non semel in tenebras fugatæ nocturnæ inferorum Patriæ, ex ipso propè occasu ad vitalem diem sæpe revocata mortalium vita; nonne Ignatiani ardoris, publicæ utilitati militantis, triumphalia decora sunt, & quidem tam oculis commissa omnium ut per aures in animum ea demittere supervacaneum esse videatur? Non possum igitur, quin exclamem, quàm facile, quàm præclarè vincitur, quando igne pugnatur, eoque divino! Vicisti tu quidem DEO, & quotidie tuos per milites vincis Ductor præfervide, sive in Aquilonares Vaticanæ potestatis hostes, ad veræ cultum religionis patrio gelu duriores, erudite ac salubriter fulminas, eosque clementer de cœlo tangis: sive subditam orienti occidentique volubilis luci Solis Indiam Soli subiicis

ſubiicis ſempiter*no*. Tibi enimvero acceptum referre debemus, quòd Indicam barbariem, ad Cælitum venerationem, quâm ad hominum commercium, efferatiorem, navali certamine laborioſæ navigationis inter undas effuſi maris an profuſi ſanguinis? hoc eſt, in mari ſanè rubro tua face ardentes fortiſſimi ſocii, & commilitones noſtri humanitati religionique mancipârunt. Quid jam ſupereſt, niſi ut, qui terras inflammavit, cœlum quoque illuſtret? & hoc poteſt Ignatius vel extinctus, dum parentalia ſidera ſuccendit ad tumulum. Ignis ille divinus, qui penetrali concluſus in pectore ſui ſæpe Solis, antequam is occideret, in vultu radians perſpectus eſt, quidni poſt ejusdem occaſum ad funebris noctis ſolatium vicariis in ſideribus ſcintillaret? illo, illo igne, quo per invia jam ſilveſcentis ad virtutem humanitatis aſpreta viam ſibi ſociiſque ſtravit ad ſcelerum victoriam, in cœlum iter laxavit ad triumphum, ſtellis delapſis ad coronam. Quanquam appoſitè arguteque coniicere non nemo poſſit, ambitiosè ſtellas è cœlo devolaſſe, ſivè ut ſolito illuſtrius Ignatii luce lucerent, ſive ut lactea pulchriorem, igneam ab Ignatio viam deſcriberent. Hac tu ſtellata via, tuarum Sol ſtellarum,

quô,

quo, nisi ad Cœlites, properares? Quod nam ex ardentissimo milite ardẽtior Imperator, cœlestes per ignes victor, quod (inquam) triumphale Capitolium inires, præter cœlum? In isto jam felicitatis & gloriæ fastigio, quòd flammis viceris, splendidè triumphas inter æternos Cœlitum plausus, coram senatu Divinitatis. Roma quoque, Pontificiæ Majestatis terrenum cœlum, beneficam sanctitatem tuam grata veneratione prosecuta in vaticano Capitolio cum Xaverio tuo triumphare te voluit, ut, quôd ille novi Sol orbis terrarum fuerit, tuis deberi flammis intelligamus. Tu nunc, Imperator illustrissime, ex ista beatissimi ardoris Regia tuis tantum sociis fervidæ alacritatis impertire, ut mortali re bene gesta, tecum aliquando immortaliter triumphemus.

HERC-

HEROICÆ CHARITATIS INDICA EXPEDITIO.

Sive

De S. FRANCISCO Xaverio.

ORATIO XXIV.

IGNEI CELER ex igneo Ignatii cœtu, i, perfer ad Indicas undas vitalem, quo feliciter ardes, JESU ignem, ad salutaria facinora præfervide Xaveri. Nullæ merces isto igne opportuniores invehantur: nauta nullus te gloriosius navigârit. Nos interim te vastissimo in mari prævolantem per laudum tuarũ ampliorem oceanum cursim ac properè persequemur. Sed quæ laudationis vis & contentio incitatissimum virtutis tuæ cursum persequatur, quæ nostro nondum è portu solutis anchoris, remige vecta somnio ad Indorum salutem enavigavit, cum, sublato in humeros nigerrimæ fæditatis Indo juvene è fœdissimæ superstitionis cœno ad sanctissimæ religionis cœlum erigendæ, totius Indiæ gravissimis laboribus lassitudine ac sudore

ſudore quies nocturna proluſit. Hoc nimirum eſt illud, tunc minùs otioſum eſſe, quàm cum otioſus ſis: ſiquidem publicæ ſalutis negotio præſudabat otium ſoporis. O verum novi terrarum orbis Atlantem, longè commentitio mirabiliorem! cujus vel ſomno proſtrati erectis viribus immenſa tot gentium inſtituendarum provincia, tanquam homũcionis unius, pondus eſt. Quid non perficies vigil, qui potes iſta ſopitus? Ad vigilem ergo redeamus, qui cum ſomniante digreſſi ſumus. Jam recuſato viatico mendicus expeditior longiſſimam ſeſe dat invii maris in viam. In maritimis enim periculis leviſſima ſupernatat, uno ſatis onuſta DEO, mendicitas. Obſtupeſcite longinqua maria mendiciſſimi vectoris virtutem auream: veſtras eidem gemmiferas undas venerabunda ſubſternite, quas illa ſulco ſplendidæ navigationis inaurat. Subſidite tranquillam in planitiem prærupti aquarum montes, ut excelſiſſimæ authoritati, ad omnium commoda vectorum humili ſeſe obſequio demittenti, parem gratiam aliquam referatis. Diſcite ventorum ſpiritus â flexanima illa eloquentia proſperam adſpirationem: ut ſic vela vos optatum provehatis ad portum, quemadmodum animos illa è nauticæ licentiæ

centiæ naufragio portuoſum ad cœlum appellit. Alludite marina monſtra humaniſſimæ ſanctitati, ut eidem monſtroſam Indorum hominum feritatem ſalubriter manſueſacturæ præſago ſerioque luſu gratulemini. Decedite de via ſyrtes & ſcopuli ad ſyrtes alias & ſcopulos duriores properanti charitati, quos in animis emolliet barbarorum. Parcite morborum peſtes peregrinantis innocentiæ vires lecto affigere, cuius præſentiſſima ope â peſtifera ſcelerum contagione citò India convaleſcet. Evenêre. Incolumi cum Xaverio in Goanum portum proſpere invehitur oratio. O te beatiſſimam Goam, quæ divinis opibus, quàm Indicis mercibus, portuoſior es! has enim littore, illas pectore excepiſti. At quàm præclarè breviſſimo quinque menſium ſpatio mutata nituit facies civitatis! Enimvero Xaverium ſine fabula & mendacio mirabilem ego Midam appellem, qui, quam attigerit urbem, ſtatim auream effecerit, & quidem non muris, ſed moribus auream. Ut hic pulchrius fecerit, quàm Cœſarum auguſtiſſimus (a) Octavius dixerit, cum gloriatus eſt, Urbem Romam, quam lateritiam inveniſſet, â ſe relinqui marmoream. Xaverius autem Indicarum urbi-

(a) *Svet: in Oct: Aug: c. 28.*

urbium urbanissimam, Goam, inveterato jam scelere saxeam, invectæ virtutis pretio aurescere feliciter coegit. Satis jam aurea fuere Xaverii beneficia : illa certè non minus pretiosa, quæ margaritis baccata Paravarum littora nobiliore margaritarum genere decorârunt. Illi, illi Xaveriani sudores, in ardentissima regione charitatis æstu expressi, in uberrimas fluxêre & fulsere guttas, barbaris unionibus pulchriores: propterea quòd horum candor nativam incolarum nigritiem magis notat arguitque: illarum verò decor tam efficax est, ut in ipsum sese animum insinuet, moresque fœdiores corporibus virtuti concolores efficiat. Tu verò Francisce in margaritarum patria margaritis alienis non indiges ad egregii laboris coronam, qui sudoribus tuis illustrius coronaris. Ipsæ (opinor) gemmiferæ conchæ istos præclaro capiti rores invideant, ut sibi nobilius gemmascere liceret. Sed gemma qualibet magis gemmeus est animus. Hinc factum est, ut in ora Piscariæ, candidis opibus pisculenta, sagacior indigenis advena hic piscator inter nigerrima corpora unum animorum candorem expiscaretur, qui cœlum ipsum posset exornare. At ecce infidum mare, quod suas tibi opes obtulit,

lit, jam surripit tuas: ecce ex Amboino in Varanulam transmittenti violenta procella prædabundum, tranquillitatis obsidem, CHRISTI, tuo magis animo, quàm Cruci, affixi hærentisque effigiem refigit ac sorbet. Tunc enimvero uterque naufragium fecistis. Mersus est Amor tuus fluctibus maris, tu doloris. Condona tamen, condona Xaveri piam Oceano rapinam. Suum ille Imperatorem ut officioso complexu tantisper veneretur, prædatricem in te procellam innocenter immisit. Prospice jam è littore, ut ad te tua gaudia enatent. Vide, ut brevissimæ venerationis officio perfunctus ille, ac læta malacia tibi arridens, agensque gratias, per tenacem portitorem cancrum tuos amores ac delicias remittit. Decuit sanè pretiosissimum jucundissimumque onus iis referri brachiis, quæ denticulata forcipe arctè ambitioseque complecterentur. Quis te marine cancer, sideribus dignissimum non affirmet, qui solem revexeris? Jam verò progreditur ad Malacensis præsidium pietatis irrequieta, ipsoque per quem certatim excurrit effusior & proclivior oceano, Xaveriana charitas. *Hic* opinione maiora pacatæ beneficia interpretemur

temur ex ope mirabili bellicosæ. Acenos, hominum Cælitumque hostes & barbaros & innumerabiles, in excidium æquè religionis, ac civitatis armatos, hortatrix ipsa inermis (quanquam vel nuda Virtus armata Pallas est) profligavit. At quô numerô militum? nempe tam exiguô, ut ad victimam, non ad victoriam delectus esse videretur. Numerosus nimirùm exercitus inter impedimenta numeratur, cùm Duce decernitur. Prosperum belli exitum, licet procul abesset, facilè prospexit, ac solicitis etiam Malacensibus prænuntiavit, qui rebus humanis excelsior semper erat in speculis veritatis. Quis jam admiretur, infinitam Indiæ barbariem humanissimo cœlestis virtutis imperio fuisse adjunctam velocissima unius excursione hominis, cui non magis hominum genus, quàm elementa omnia, militabant? Dicite miseri testes, Imperatoris Christi desertores, Tolenses cives, quàm terribili conquassata tremore terra scelus vestrum cum gemitu exhorruerit: quàm salubri vos fame sterilis ager monuerit, ut fastiditas cœli delicias esuriretis: quàm congruenter, penetrabilis ultor, àër pestilenti adspiratione scelestissima viscera infecerit, quæ divinum præterea spiritum ducere noluerunt: quàm

justo indignationis æstu imminens mons, ipso vastiùs Ætna dehiscens conceptum in defectionem vestram furorem vindices per flammas fremebundo cum tonitru exspirârit, ac cœli vitale incendium recusantes pluvio inferorum cinere tumulârit: quàm denique prodigiosè prodiga scaturigine illacrymans proximus lacus exundârit; ut uberrimis lacrymis flagitium maximum vel mergeret, vel ablueret. Hactenus perlustravimus illustriorem advenâ Xaverio, quàm nativo Sole, Indiam hoc est, ultimum (ut pöëtæ appellant) Solis cubile. Sed non quiescit Xaverius, ubi cubat Sol. Ad abscissam à terrarum cœlique commercio Japoniam, extra anni solisque vias, per invia avaritiæ, pervia charitati longissima spatia Sol novus & clarior accurrit. At quàm decenter piraticô lembô provehitur, qui more piratarum insulas remotissimas invadit, salubriter prædaturus! Frustra Navarchus Sinensis latro cum inferorum latrone conspiravit, ut opimam prædam vel auferat, vel remoretur. Retardari non potest, qui Deo aspirante velificat. Quodsi nulla in maritimo, quænam in terrestri cursu obsistere potuit Remora properanti? Quare pernicissimo equiti, viæ duci, famulum se peditem addit, & quidem pernicio-

niciorem. Amantis enim pedes alæ ſunt. Vepres ipſi acutiſſimi, per quos nudis pedibus non ſine vulnere ſubinde incedebat, calcaria erant ac ſtimuli ad victoriam provolanti. Bene habet. Nunquam antea domiti Japonici cum populo Reges ipſi, Xaverii non vi, ſed voce victi, Chriſto Regum maximo demum dedêre nomen & manus: quorum aliquis, ut regale victori trophæum ſtatueret, triumphale Franciſci nomen non marmori, ſed ſibi præclarius inſcripſit. Xaverianæ debet victoriæ Roma, quod vidit extremæ Japoniæ Romanis religionibus ſubactæ, Regios legatos, longa triumphi pompa terras omnes, maria omnia emenſos, ad Vaticani tandem Capitolii limina tributaria veneratione procumbere. Debet eidem victoriæ, quod audivit, è luſtralibus aquis tantum cœleſtis ignis hauſiſſe Japones, ut tyrannici ſupplicii flammas non timeant, quippe qui per ignem revixerint. Omittenda hic ſunt infinita & benefica miracula; ut unum & maximum miraculorum, Xaverium, qui plura fecerit admiranda, quam nos vel curſim enarrare poſſimus, extrema jam peregrinatione quàm longiſſimè feſtinantem conſequamur. Aperite nunc exterorum hominum commercio clauſa, penituſque

discissa vestra littora, vobis unis & nativo vellere contenti, Sinæ: aperite, inquam, Xaverio diuturni laboriosique cursus optatissimum portum, ubi vos ille se ipso, si non vivo, at saltem mortuo elegantiùs, quàm vestra decorent vellera, exornabit. Virtutis enim vel attritæ abjectæque exuviæ serica sunt veste nitidiores Debuit autem peregrinus Xaverius vestras quoque oras attingere; ut universo terrarum orbe peragrato, unum superesset cœlum, quo tandem enavigaret ille quidem in rerum omnium inopia expeditus, sed non totus. Integerrimi enim spolium corporis, id est propensi è cœlo animi pignus, Indiæ suæ reliquit. Ne quicquam Lusitana pietas, ut nuda cadaveris ossa transferas, viva calce carnem absumere moliris. Nec absumi, nec tabescere cadaver potest, quod perpetua vitæ condivit integritas. O cadaver quàm pristino succo vividum, tam præsentissimo auxilio vitale! te quidem anima cœlo dignissima destitutum deploramus; sed immortali erga nos beneficentia lætamur animatum. Tibi exanime, reliquæ mortalitati vivis, cui sæpe â calamitate atq; ab interitu vindicatæ felicitatem ac vitam impertiris Tuam apud Indiam, difficilima peregrinatione lustratam illu-

stra-

ſtratamque in peramplo ac ſplendido ſepulchro jure, ſed anguſtè conquieſcis: quod in omnium animis hominum, rerum præclarè geſtarum magnitudine occupatis, & ſepulcrum habes & vitam. Uno videlicet in loco non poteras exſtinctus jacere, Xaveri, qui totius par orbis terrarum opportunitatibus regiones omnes beneficiorum tuorum gloria vivus impleveras. Quamobrem dexteram illam, Indiæ univerſæ ſalutarem domitricem, rerumque ferè incredibilium effectricem, ex orientis patria Solis ad ſubditam occidenti Romanam Urbem divino conſilio aſportatam interpretor; ut etiam â funere diſpergeres cum Sole manus: quarum complexu ſicut olim ad Numinis divini cultum, ita nunc ad juſtiſſimam venerationem tui gemino faceres commercia mundo. Et Roma quidem poteſtate divina cœlo finitima, ut in illuſtri te Cœlitum numero collocatum cumulatè veneretur, è tuo, qui te nobis in Oriente ſuſtulit, occaſu lucem naſci Solemque gratulatur.

VIR LINGVARUM OMNIUM.

Sive

De S. FRANCISCO Xaverio.

ORATIO XXV.

AD nos etiam regnatricis Urbis incolas ab ultima uſque India, toto terrarum orbe diviſa, tua vox illa flexanima, Xaveri, ſacram inter concionem diverſis ac diſſonis uno tempore intellecta nationibus, miraculo magis, quàm ſtrepitu, ſonora penetravit. Cur enim remotiſſimas quoque aures noſtras non impleret, quæ divinum, omnia implens, Verbum ſonaret? Cur non Romanis collibus, quàm Indicis cautibus, clariùs Echo Romanæ Religionis reſultaret, aut cur pluribus gentium plurimarũ lingvis inſigniter ac mirabiliter vocalem Xaverium, quamvis longè diſſiti, non audiamus. Quidni eum ego potiſſimùm cum barbaris illis auditoribus intelligam, qui latinos inter barbarè loquar? Equidem animatam Deo Xaverii vocem Hebraicis ex adytis divinæ lingvæ

lingvæ interpres facilè intellexi. Verùm (ut in divinis par est) divinæ hujus eloquentiæ causas timidè verecundeque bonâ vestrâ veniâ, Auditores interpretabor. An igitur Xaverio novi terrarum orbis magistro, instaurato veteri prodigio, flammeæ de cœlo lingvæ impluebant? Etenim si tepida Hierosolymæ plaga erupitis olim ignibus æstuavit: nonne prævida Indiæ Regio eloquentibus potuit flammis abundare? Licuit quondam Pericli unicâ, eâque humanâ lingvâ tonare, fulminare, Græciam permiscere universam. Xaverius ergo & plurimis & cœlestibus micans lingvis qvo tonitru, quo fulgure, quo fulmine fœcundam scelerum omnium vastissimo in Oriente superstitionem absterruisse, perstrinxisse, profligâsse dicatur? Hic enimverò non possum, quin inter seria rideam Salmonei Regis ridendam insaniam, tonitrua & fulmina æneo super ponte quadrigarum strepitu, & flammarum jactu nimis laboriosè imitantis: cum perlevi labore una Xaverii vox ita barbarorũ auribus tonet, animis fulminet; ut non fictè, sed verè; non nocenter, sed salubriter eos de cœlo tactos fuisse fateamur. I nunc, & Gallicum nescio quem Herculem, eloquenti ex ore nascentibus aureis catenis populorum

aures nexas trahentem, posteris prædicat fabularum artifex vetustas. Verissimè vidit sera posteritas totius Indiæ non aures modò, sed animos etiam illigari efficacioris eloquentiæ auro, divinus quod ignis excoxit. An verò aurea Xaverii vox eadem quidem varias ad aures accidit, sed patrium sonuit cuique sermonem? Auro enim sonante, gens omnis aurita est. An potiùs, quoniam ab Aquilone in Austrum linguæ figura longissimè India porrigitur, ingeniosa Xaverii labore ac sudore culta, nativarum cultori suo linguarum copiâm erudito cum fœnore protulit ac rependit: ut simul dissimiles admirabili compendio condirentur? Nam quid illa facilius, quid uberius efferret, quâm quod simile sibi, quodque nativum esset? An quia ipsam complexa Numinis immensitatem hominum facilè nationes complectebatur amplissima Xaverii charitas, eorundem quoque lingvas nullo negotio continebat? quæ quamvis agrestes ac barbaræ tam pio in ore non poterant ad pietatem exprimendam non mansvescere. Ut noster hic ultimi mundi hospes & peregrinus sedentario illo Socrate veriùs quærenti, cuias sit, respondere possit, *Mundanus sum*: qui peregrini communione sermonis exterorum

rum popularis ac civis populorum esse videatur. Illud sanè hoc didici rarissimo exemplo, multas qui lingvas calleat, non totidem tantùm viris (ut apud Turcas in proverbio est) eum esse æquiparandum, sed nationibus totidem præferendum : quod illarum multitudinem varietatemque brevissimo ambitu una ejusdem lingua concludat. An non igitur sapientissimo illo Ennio, tricordem sese, quod Græcè, Oscê, Latinè loqueretur, prædicante, magis esse cordatum Xaverium affirmemus, qui numerosam Indicæ vastitatis barbariem, pietati diu excordem, dissonantium concentu lingvarum egreigè cordatam fecerit? An non ipsum Ponti Regem Mithridatem, duas & viginti subjectarum linguas provinciarum disertissimi oris erudita in ditione habentem, Xaveriana eloquentia, quam Romana potentia, gloriosius victum esse censeamus, quandoquidem singulis ille, omnibus hic lingvis loquebatur. Quid autem tam gloriosum, quam totis Romanorum armis vix expugnabilem Tyrannum una fuisse inermis voce superatum? Quare mirandum non esse dixerim in Xaverio illud, in cæteris admirabile ac ferè inauditum; ut multarum nodos interrogationum genere dissimillimos, dif-

ficultate impeditiſſimos, unius reſponſi oraculum expediret. Cur enim pluribus ſimul non reſponderet unus, qui linguis plurimis eſſet inſtructus? quique ſapientium unus inſtar eſſet plurimorum. Nefas hic fuerit tám fœcundæ facundiæ virum iis Auſtralis inſulæ populis non anteferre (a) qui, bifidam ab radice lingvam cum habeant, & avicularum ſvaviſſimè cantus, & (quod incredibile pæne ſit) diverſa cum duobus ſimul hominibus colloquia biſulcæ linguæ divortio partiri dicuntur. Atqui plus eſt indiviſa lingua ſvaviorem quovis cantu ſermonem pluribus dividere. An præterea, divini famem Verbi, Xaverium appellemus, qui tot lingvis perſonaret? An etiam fabuloſâ pôëtarum famâ mirabiliorem eundem celebremus; quòd illi totidem eſſent ora, quod linguæ: uno lingvas hic omnes ore facundo poſſideret? An multiplex illa lingvarum ſupellex cœleſtem decuit oratorem; quòd una cæleſti facundiæ lingva ſatis eſſe non poteſt? illud hic tandem habeo ſuſpicari, divinam hanc ideo extitiſſe in terris eloquentiam; ne variis eodem tempore lingvis eloquentem una laudari poſſe lingua ſperare, præ illo elingves, audeamus. Quicquid ergo laudum tuarum, humano major præ-

præconio Xaveri, diximus, merum silentium est. Unus tu poteras tua decora æquare dicendo, cujus in ore novus Orbis terrarum resonabat: nisi alienis eloquentissima opportunitatibus, suis obstinatè laudibus Virtus obmutesceret. Quanquam ipsa Virtutis taciturnitas arguta est, ac nouo miraculo sine verborum strepitu suam in animis præstantiam exornat. Nunc enimvero, nunc barbaris Indiæ nationibus Roma non invidet singularem istam svadelam tuam. Nunc â cœlo Romanê perorâsti divine orator; quando Romano in senatu publicos solemnesque sanctitatis plausus excitâsti. Nunc tandem tua lingva omnium complexa lingvarum eloquentiam justissimum tibi præmium illud refert, ut omnes de te lingvæ loquantur.

CORONATUS CORONÆ CONTEMPTOR.

Sive

De B. ALOYSIO Gonzaga.

ORATIO XXVI.

ET habeo, & ago pictori gratias, Auditores, qui geminas & principes Aloysii Gonzagæ virtutes, sub aspectum non cadentes, tam scitê coloribus prior expressit: ut hodiernam laudationem antè *oculis* ille, quàm ego auribus, proposuisse; mihi verò Rhetorum quoque pigmentis dignissimam dicendi materiam expinxisse ac præscripsisse videatur. Quis enim in abjecta ad pedes aurea corona fluxarum rerum, hoc est, pretiosi vinculi splendidum contemptum, quis in candido lilio manibus prælato incontaminatæ vitæ floridum delectum non intelligit coloratum? Utramque igitur laudem sicut apud eruditos oculos eloquens pictura ingeniosê peroravit: sic apud sapientissimas aures, arguta imitatrix, officiosê depinget oratio. Nemo, ut opinor, mirabitur, domesticæ opulentiæ aureum splendorem

dorem illibati animi raro candori post habitum ab adulto fuisse, qui diuturnæ obluctatione recusavit ad vitæ domusq; lucem totus exire, nisi priùs lustralibus aquis irrigatus in lilium efflorescerat sanctitatis. Igitur quæ plerisque mortalium, inter faces libidinum hallucinantibus, splendida & pretiosa sunt, facilè viluerunt perspicacissimo juveni præmaturè affulgente in bono lumine sapientiæ. Quin etiam auri præstigias; quas decepta mortalitas non videt, propterea quòd aurum in capite atque adeo in oculis fert, callidè dispexit Aloysius, qui justo idem intervallo despexit abjectum ac relegatum ad pedes. Verùm ut pedibus, ad coronarium siderum aurum properantibus, aureæ coronæ divites pedicas, aculeatum offendiculum, atque animum fodicantes regios tribulos caveret; natu minoris eam capiti fratris imposuit. Sapienter enimvero aurum dignabatur auro ipso magis aureus. Puduit præterea modestissimum juvenem ad frequentissimos, coronati vepribus, Regis maximi amplexus admitti cum aurea corona, cujus prælongi aculei altiùs, quàm vepres ipsi, divinum caput compungerent. Nec verò Illustrissimo serto caruit aureus contemptor auri.

Nemo æquius atque Illustrius coronatur, quâm qui aurum aspernatur ac respuit. Præclarus ille domestici splendoris contemptus, dum nobilissimi capitis curas & cupiditates in officio continebat coercebatque, integerrimam vitam coronabat. Isto coronatus suique Rex ipsius contemptu, adeo citra arrogantiam sibi placuit, à sui demissione excelsior adolescens: ut opulentam æqualium ostentationem provocârit in publici ludi theatrali luce, atque in oculis amplissimæ civitatis. Mediolani per bachanales ferias non feriante, sed otiosæ lasciviæ, ut mos est, operante licentia, in theatro frequentissimo ornatissima juventus bellum equestre ludebat, interque pugnæ simulacrum, verus juvenum victor, luxus juvenili forocia equitabat; universisque spectaculi equis lautê instratis invectus triumphabat: cum ecce tibi, ut de superbo victore triumphat Aloysius, novo congrediendi more, sine decoro armorum onere, sine numerosis famulorum impedimentis, vetulo strigosoque mulo expeditè insidens per medium caveæ consessum sic provehitur; ut juveniliter exultantem fastum non hasta quidem transverberet, sed congruentius succussatore calcitrosoque jumento, ma-
gisque

giſque altiſſima ſui demiſſione procul-cet. O equitem in lento vectore velo-ciſſimum, qui aureæ gloriæ ſordidum pallorem prætergreſſus, cœleſtis lilii pul-cherrimum candorem rariſſimæ laudis exemplo præcepiſti. Præcepiſti laudabi-liter, ac præcerpſiſti fortiter ad immor-talem coronam lilium inter ſpinas; cum per domeſticarum ſpineta difficulta-tum ad optatiſſimi lilij, hoc eſt ad JE-SU Societatem pervaſiſti. Sed cur Aloyſi ſpinoſis obicibus ſpinas adjicis de tuo? Cur inter acutiſſimas & admoti calca-ris, & inflicti verberis punctiones edu-cto cruore roſeus candidum florem ex-petis? pium enimvero conſilium odoror. Cruentos aculeos amas, ut nobiliſſimum lilium honorificê excipias in roſa. Sed parce candidi ſerti percupide in roſas te cruentare. Hauſtus cum lacte nutri-cis, pudoris candor, imò candidior; quoniam parem terra florem non habet; Cœlitum lilio coronandus eſt. Cœle-ſtem coronam iſtam præmaturè ſibi pro-vidus pudor Florentiæ contexuit: cùm Virgini maximæ majorique Filio dica-tus, uniceque dilectus gemina inter li-lia paſcebatur. Et meritò ſanè Floren-tiæ divinis floribus abundavit, cujus ur-bis ſvaviſſimum nomen ipſam redolet a-

mœnitatem. Floret ea quidem urbs qua pulcherrimo nomine, quà optimis civibus: beneficæ tamen gloriæ ſuæ parum id eſſe ducit, niſi nativos flores etiam propaget in advenas. Huc videlicet illa ſpectat luculenta vox Aloyſii, Florentiam, pietatis ſuæ, id eſt, divini floris parentem, appellantis. Ex ea juvenilis modeſtiæ patria; tantum ingenuæ verecundiæ hoſpes extulit, ut ne totos quidem è lecto nudos pedes, cubicularii opera caligis induendos, auderet efferre: ſive quod formoſior elucet pudor, quo mágis tegitur: ſive quôd pudentiſſimæ indolis delicatis pedibus oculi ſpinæ ſunt. Ex eadem urbaniſſima urbe, atque urbium flore tam ſvavem, tam innocentem urbanitatem delibavit, ut neminem dicacitatis aculeo vulneraret. Ex ea demum una, de more veteri, Religionum Hetruſca magiſtra unus clariſſimo genere natus adoleſcens plus didicit ſanctitatis, quam olim plures Romanorum Principum (a) filii è tota Hetruria perciperent ſuperſtitionis. Ut Florentinæ pietatis recenti fructu ſuperſtitioſæ quondam Hetruriæ diſſeminata diſciplina

(a) *Cic: l. 1. de Divinat: Val: Maxim: l. 1. c. 1.*

diſciplina liberaliter expiata eſſe videatur. Jam verò integerrimi juvenis candidiſſimam innocentiam ipſa etiam elementa teſtantur. Et aqua & ignis periclitanti pepercerunt; quòd in ea eluendum atque luſtrandum invenerint nihil. Ex aqua & igne facilis ad finitimi cœli delicias, nimirum ad JESU Societatem tranſitus fuit. Tunc enimvero ex Illuſtriſſimi hujus cœli ſereno faſtigio tibi altiſſimè terras deſpicienti, pretioſa fæx, aurum expalluit: tunc ſempiternæ lucis candori feliciter aprici, caſtiſſimi mores id eſt, flores tui ſimillimum colorem è divina luce traxerunt. Hinc denique mortalium coronarum egregie contemptor ad immortalis vitæ coronam præmatura morte prævolaſti, atque à proculcato terrarum auro ad aurea ſidera, pedibus proculcanda, gradum ſic promoviſti: tuum ut JESUS lilium, quod ſemper in corde manibuſque divini candoris amore atque imitatione geſtaras, in præclari capitis feliciorem auro coronam verteretur.

EX FUGA VICTOR

Sive

De S. STANISLAO Kostka.

ORATIO XXVII.

FUge DEO dilecte, fuge crudeles terras, quæ te à patrio cœlo distinent exulem, Stanislae. Fuge fraterno curru insequente pedes velocior, quia cursor Amoris es. Enimvero, dum pedum cursu currûs impetum prævertis, ex fuga victor, inspectantibus & plaudentibus Cœlitibus, vera ludis Olympia. Nostra quoque, te celerrimum peditem imitata, brevissimo plausu pedestris oratio prosequetur. Ante generosam fugam infestissimam inferorum belluam, canino rictu ter allatrantem invadentemque ter salutaris crucis objecto signo æger affixusque lectulo fugâsti: ut Romam deinde non victum profugisse ad Asylum, sed victorem properâsse ad triumphum intelligamus. An non adolescenti fortissimo triumphus debebatur, cui gravissimis febribus laboranti Cerberum importunissimum nutu manus efficaci sæpius abiice-

abiicere fuerit ludus: cum, robustissimo Heroum, Herculi monstrum idem semel vincere labor fuerit? Tam Palmarem victoriam Cœlites uno Verbo eloquentissimè gratulantur, quod quamvis immensum, tamen in candidi orbis angusta periodo inclusum proferunt. Et quidem non decuit Beatissimos hospites è patria deliciarum, vacuos advenire. Pace medicorum, profligatissimæ valetudini desperantium, bene ominabor. Prope dicam moribundus adolescens reviviscet, quia vitam ipsam pro medicamento sumpsit: aureos opum laqueos expeditior fugiet, quia non modo alas illi suas, sed etiam totum Amor addidit sese. Jam vero decentiùs, quàm Cœlitum manu, cœlo pulchrioris Matris virginali complexu invectus, ad ægrotantem amicum idem Amor puerili vultu revertitur, ea nimirum forma, quæ maximè decet Amorem. Adeo pares cum paribus facilè congregantur: ut integerrimum puerum invisenti DEO jucundum fuerit in similem speciem quodam modo repuerascere. O amantis morbum, Amore blanditiis medente, invidendum! O lectulum inter lethalia discrimina vitalibus deliciis beatum! O portum voluptatis in mediis æstibus inquietæ quietis? Non

est cur Stanislae ampliùs fuga Salutem quæras, quam tibi morbus ipse decumbenti liberaliter cœlo delapsam obtulit. Atqui delapsa est Salus, non ut tecum jaceat, sed ut jacentem ad sui Societatem nominis & virtutis extollat. Ille Sapientiæ infantis è cœlo descensus eloquenter docet, etiam teneris viatoribus superabilem esse ad cœlum viam atque terrarum fugam. Ipsa, puerilis invitamenti interpres, divina Mater disertè vocat ad sodalitatem Filij, (a) capreæ instar hinnulique cervorum fugitivi. O miram Stanislai fugientis celeritatem! Ecce ante fugit, quàm pedem moveat: ecce cum rustico vestitu nobiliorem hominem indutus in ipsa fugæ meditatione à se ipso atque à pristinis deliciis longissimè abest: ecce prudentissimus viator omnia bona sua, unum videlicet caducorum bonorum contemptum, secum portat. Frustra cum peditis amantis fuga certamen init furentis fratris quadrigarius cursus: velocior est enim pedes amor, quâm furor auriga. Ipsi in medio impetu repentè restitantes equi urgentem moderatorem monuerunt per asperam virtutis ad cœlum semitam pedibus properandum esse, non quadrigis.

(a) *Cant:* 8.

gis. Eſt, qui affirmet, aſſecutos quidem fuiſſe domeſticos fugitivum adoleſcentem, de facie tamen non agnoviſſe. O perfectam fugam, qua vel præſens à notitia procul aberat ſuorum! Sed jam, qui longiſſimæ viæ hippodromum vix ingreſſus victrici pedum pernicitate quadrigarum velocitatem antevertit, quique fugaci Partho victor admirabilior, quò longius recedit, eò relictos domeſticos graviùs vulnerat; idem in reliqui longinquitate itineris vires acquirentem eundo laſſitudinem tum alacrius anteit, cum tenero lateri ea magis adhæret. Et quiſquam neget alacrem hunc victorem eſſe capræ hinnuloque cervorum comparandum, qui vel inter æquatiſſimos campos, arduorum laborum colles monteſque tranſiliat? Dicite nunc mutæ ſolitudines, ad memorabile ſpectaculum vocales, quàm laudabiliter de celeritatis palma incitatiſſimi adoleſcentis corpus animuſque certârint: quàm vehementi ſuſpiriorum aura provectus hic leviſſimè prævolare, quàm prodigo ſudoris fluvio diffluens illud liquidiſſimè præcurrere laborârint. Age jam plauſus detur, & palma victori. Jam laborioſo curſu digniſſimam metam, par honeſtiſſimæ fugæ Aſylum, Romam Staniſlaus attingit.

At lapſus ſum verbo in Staniſlai curſu perſequendo: non enim meta currenti, ſed pars fuit Roma curriculi, quam paucis poſt menſibus occidens prætervolavit. Adeo fugientis impetus, qui terris non potuit, cœlo debuit terminari. Ardor hic ad optimam patriam properandi non modô feſtinationis diuturnitate non deferbuit: verùm etiam ſic exæſtuavit, ut linteis frigida madefactis fuerit ſæpe mitigandus. At fruſtra vulgaris humor divinam flammam audeat frigerare. (a) Nec aquæ multæ poſſunt exſtinguere, nec flumina obruere charitatem. Et poſſit modici liquoris extimum frigus penetrale cordis incendium ſuperare. Exitus ipſe probavit, non aquam, ſed oleum camino illi fuiſſe additum: ſiquidem Laurentii flammis, quàm Solis radiis, magis æſtivo die ſic Staniſlaus incaluit, ut febrem contraxerit, levem eam quidem amanti, quia calor Amoris erat; (b) ſed lethalem, quia fortis, ut mors, eſt Amor. Quamobrem divino conſilio in tutelarium Cœlitũ menſtrua ſortitione ille amantium Phœnix, quem, quod ardentiſſimè amaverit, igne decuit mori, Laurentius ad cœlum feſtinanti obtigit: ut ad capeſſenda ſidera fugaciſſimæ vitæ compen-

(a) *Cant*: 8. (b) *Ibid*:

compendiaria fuga suis ignibus prælu-ceret. Ergo non multo post ab optatissimo & diu quæsito terrarum angulo in Cœlitum sedem igneus transfuga demigravit: ignis enim fuga in sublime est. Divinam Parentem, quæ nuper ad Filium sequendum invitarat, ad ejusdem Filii sempiternos amplexus assumptam secutus est. Non potuit sane alacrior parere vocanti, quàm cum post ducem eandem ad immortalem inter Cœlites JESU Societatem immatura morte properavit. Vicisti fugiendo Stanislæ, vicisti, quem velocissimè terras fugientem meta simul & præmium excepit, Cœlum. Age fugax hæc etiam laudatio tecum in Cœlo felicissimè conquiescat.

ADULTÆ VIRTUTIS ADOLESCENS.

Sive

De JOANNE Berchmanno.

ORATIO XXVIII.

QUi vetera tantùm laudat, aut vetulus eſt, aut in recenti laude cæcus. Me quidem nupera Joannis Berchmanni noſtro ex ordine Belgæ adoleſcentis, ſupra ætatem adulta & gigantæa virtus eo perculit ſenſu admirationis, ut antiquitatem minùs admirer, æmulatione poſteritatis: & fieri priſco ævo potuiſſe faciliùs credam, quæ noſtro facta ſuſpexi. Atque hic mihi gratulor, infacundiam meam fœcundiſſimo eſſe argumento accommodatam: decora enim ſeipſis maxima exornavero ſatis, ſi nudē narravero. Neque jam orator haberi ambitiosē volo, ſed virtutis domeſticæ teſtis feliciter oculatus. Illud admiratione dignum hæc præſtitit in juventutis tyrocinio emerita & ſumma virtus, quotidiano ſpectaculo per triennium mihi perſpecta; ut ejuſdem in pueritia par veteranis rudimentum

tum, externorum hominum narratione compertum, perinde ſpectatiſſimum mihi ſit, ac ſi fidelibus ipſe oculis ſubjeciſſem. Videor igitur mihi videre Joannem adhuc infantem, robuſta obdurataque adverſus infantiles morbos tolerantia, nullo unquam fletu impatienter emollitum, aut (ſi mavis amœnius interpretari) ludibunda in ætatula cum doloribus viriliter colludentem, eoſque infantium mordaces colubros gloria pluſquam Herculea in incunabulis elidentem. In oculis fero amœnæ indolis imaginem, puerilis oris pulchritudinem, ſvavitate coloris, quem pudor illevit, floridiſſimam; contactus omnes, etiam ſacrarum virginum, fugitantem. Norat enim vel puer tenerrimam rem eſſe formam, quæ blanditiis violatur: ac tum eſſe maximè viſendam, cum eſt intacta. Obverſatur morum ſenectus in pueritia, inoffenſus ad virtutem curſus in lubrico ætatis, conſervatus animi candor in communi ſcelerum luto, ipſa quoque vitiorum nomina erubeſcens innocentiæ candor: ut præ filijs hominum ſpecioſo Amori ſuo concolor Joannes non animo minus, quàm corpore, candidus eſſet ac rubicundus. Singula illum domeſtica latibula commonſtrant, flexo genu in Cœleſtium

leſtium rerum crebra contemplatione defixum, imò à demiſſione illa corporis erectiorem in cœlum. Præſens eſt, olim imploratum Joannis nomine, Cœlitum auxilium. Jam mihi cernitur Canonicus Freimontius cum alumno Berchmanno redux ab æde Beatæ Virginis, cui ab Aſpero colle nomen eſt, inter viarum devia & anguſta, cœlo repentè nubilante, horrendiſque fragoribus tempeſtatem intonante, crebris fulgetris in oborta interdiu nocte diem ſimul aperiente, ſimul eripiente, primum incertus animi paveſcere, optimo deinde conſilio tutelarem Berchmanni Angelum implorare, præſentiſſima demum & manifeſta ejuſdem Angeli ope ex imminente viæ abrupto colle vultu habituque fœda muliercula raptim devolvi, ad Berchmanni pedes accidere, oculos cervicemque terrificum in modum diſtorquere, inconditum ſtridorem edere, tum celeri fuga evaneſcere, mox fugata tempeſtatis machinatrice, turpi venefica, pulchrè conſerenare. Uſque adeo adoleſcentis optimi promerita jam tum adoleverant, ut ad cœli detergendam & ſerenandam faciem pertinerent. Jam non admiror, primam ejus adoleſcentiam omnium ætatum ordinumque hominibus venerati-

oni fuisse, quæ tanta apud Cælites authoritate polleret: meritoque Angelum appellatum, cui Cœlum obsecundaret. Tam robusta in teneris annis virtus ē domestica latebra, privataque umbra ad nostræ palæstræ beatum Solem, decorumque pulverem divinitus evocata, in ipso tirocinio veterana, Socioque JESU digna, heroicas cœpit difficultates eluctari: si tamen luctatio potius, quam ludus est, facilè jucundeque difficillimam sui victoriam perpetrare. Ut multa, & in emerito etiam viro inventu rara, tyronis hujus decora paucis complectar; satis habeo breve quidem, sed locuples, afferre testimonium. Nam & omnes in Mechlinensi tirocinio Socii supra centum, in dispiciendis vel levissimis criminibus de more tyronum religiosè oculati, nullum, quamvis imperata censura, in illo morum candore nævum toto biennio animadverterunt: & è Patribus veteranis non pauci nullam, quæ tyroni congrueret, in Sanctissimis olim viris celebratam virtutem in Berchmanno desiderarunt. Verum admirandæ virtuti miraculorum patria Roma debebatur. Ergo præmaturus sui victor adolescens triumphalem in urbem merito accitus contendit, eò expeditior, quò jam triplicis

plicis voti religioſo nexu adſtrictior. Quis autem in longiſſimo itinere nova laude properantem pari laudatione proſequatur? Sæpius decantatum ipſaque adulationis conſvetudine minus admirandum properantium miraculum eſt, ut ſicco maria, innoxio ariſtas, ſuſpenſo arenas pede non percurrant, ſed prætervolent, hoc eſt, nullum fugacis gloriæ ſuæ veſtigium relinquant. Non iſta te vaniſſima levitas, viator optime, provexit. Sed mira gravitas incitatiorem fecit, dum omnis illecebræ moras abrupit: atque illud eadem ſanè præſtitit ſingulare, ut quæcunq; curſim loca vix attingeres altiſſimis virtutis tuæ veſtigiis imprimeres. Hinc unius tantùm dieculæ hoſpes obvias Societatis noſtræ domos egregiis documentis perinde recreabas ac ſi in ſingulis conſenuiſſes. Equidem à tuis te Sociis gratuitò nunquam exceptum fuiſſe affirmârim, quibus tam utile fœnus rependeris. Jam civitate donatus Romanè vixiſti: quia feciſti fortia & paſſus es ad breve tempus incolumis, mox lethali morbo decumbens. Quantum ad virtutum documenta, reliqvum vitæ, nempe non integrum triennium longiſſimam æquavit ætatem: nec erat, cur quiſnam, magnum

Ægyptiæ ſolitudinis civem, Antonium imitatus, varia ſingulis è Sociis decora, inſtar Apis floſculos obeuntis, delibaret; cùm unus omnia Berchmannus exhiberet. Vidimus adversùs omnia ſpectacula piè obſtinatam, & circumſpectè cæcam oculorum modeſtiam, quibus ſemper demiſſis incertum erat terramne magis deſpiceret, an ſuſpiceret cœlum. Quin potiùs obtutu ab rerum inutili curâ ad ſalubrem ſui cuſtodiam revocato, cæteræ corporis partes ita modeſtiſſimis oculis reſpondebant, ut compoſitiſſimum corpus ipſa animare modeſtia videretur. Quare juvenilis decor, in alijs (ut pôëtice quidem, at verè dicam) lubricus adſpici, ſalubriter adſpiciebatur in Berchmanno. Adeo prodeſt animis adſpectus formæ, quã perfecerũt lineamenta virtutis. Audivimus prætereà, dato poſt cibum horæ ſpacio ad colloquendum, de divinis te rebus tam mellitè differentem, ut à cibo, quam inter epulas; auribus, quàm ore ſvaviùs epularemur. Sic novo prorſus miroque more fiebat, ut cœli nectar (quod ajunt) & ambroſiam avido prælibaremus auditu. Quid, cum in Gregoriano Lycæo certamine ſtreperes erudito? Nullus profectò concentus mulcebat aures illo ſtrepitu

pitu jucundior, ſiquidem acuta cum gravibus ingenioſus ſimul & modeſtus difficili miraculo temperabas. Quod in primis tum patuit, cum è ſuperiore loco quà exedræ quà gloriæ publica diſputatione te pluſquam philoſophum profeſſus es, quippe qui cum verbis, tum moribus non modo amicum te Sapientiæ, verum etiam ſupra ætatem ſapientiſſimum oſtendiſti: ut, quod olim Tullius cum (a) Platone miraculum optare magis quàm ſperare auſus eſt, tandem ipſe perfeceris: nam tuo in ſermone ſonora tuo in ore ſpectabilis Sapientia mirabiles excitavit amores ſui. Sed quò provehitur nimis propera laudatio? Ab exedræ videlicet plauſu ad ſepulchri mœrorem prærepto cum juvene præcipitat. Ergone tot immortalium virtutum, quas convictu propetriennali mirati ſumus, tacita præteritione jactura fiet; ut ante ſilentio ſepeliantur, quam Berchmannum narratio tumulaverit? Ergo in Deum charitas quotidie ardentior, hoc eſt, beatus juvenilis ætatis fervor: erga Deiparam, tanquam erga communem Deo ſibique Matrem, cum lactè dulcior filii affectus: alienæ ſalutis amor, nudus ille quidem ab

(a) *in Phædro, De finib. l. 2.*

ab externis opibus & præsidiis, dives tamen emptor studio cujusvis incommodi subeundi, & fortis propugnator alacritate sangvinis profundendi; si per vitam id licuisset, ut Belgicis in castris prælata Cruce pius vexillifer militarem pro religione ardorem accenderet: altissimæ demissionis fundamentum ad excitandum celsissimum virtutum fastigium: ad crimen arcendum absterrendumque sæpe vapulans innocentia: in se unum piè sævientis, citra affectationem officiosa in alios, comitas; divina assiduê contemplantis, jamque animo possidentis excelsa rerum contemptio terrenarum præsentem ubique Deum considerantis, & quodammodo intuentis anticipata in temporis brevitate felicitas æternitatis: hæc inquam, aliaque complura decora indecoro silentio denigrabuntur? Nequaquam id quidem. *Nec* ego tamen erravi properando, & unius commemoratione virtutis reliquas prædicavi satis: nam singularis in fronte modestiæ virtutes leguntur omnes. Hæ supremo in morbo exituque vegetiores ultimum vitæ actum eleganter concluserunt. Jam imò terrarum ergastulo major, & ad summam cœli libertatem alatus amor Berchmanni gestiebat in fugam, & assi-
dua

dua cupiditate cœlestem in patriam prævolabat; cum Exquilinæ Virginis æstivis nivibus dicato die langvere corpus cœpit, incertum, morbone magis, an amore, an dolore potiùs, quôd prævolantem animum consequi non liceret. Et meus quidē inclinat animus, ut arbitrer potiorem languoris causam fuisse amorem, cujus febris nivali prodigio non restincta, sed accensa est. Non potuit integerrimo candore juvenis decentiùs, quàm virginales inter nives, decumbere: neque sub Leonis astro felicius calere, quàm Virgine. Siquis putat hæc à me argutè potiùs, quàm verè, dici; ejus vitam brevi contuitu relegat. Nam sacro Virgini Magnæ, sabbati die natus, Sabbato deinde renatus, cum in Societatem JESU adscriptus est, Virginali demum Sabbati luce lecto affixus denasci mortalitati cœpit, immortalitati victurus. Ut quis ardor venas accenderit, decretorij Virginis dies significarint. Non latuit hæc morbi causa Medicum ipsum, qui dierum octo febricula jam prostratum ex Hippocratis effato divinitus mori pronuntiavit. Hinc illa ad primam invaletudinis tentationem optatæ præsagitio mortis, & ad supremæ necessitatis nuntium,

ti m. vitæ cupiditatem abdicans ac deponens in valetudinarij ſinum lætiſſimus amplexus. Jamque ad ſummi diſcriminis viam feliciter ineundam cœleſte viaticum ſumpturus, humi deponi voluit ut firmiores figeret in ſolo greſſus ab extremo languore robuſtus cœli viator: ſolitamque veſtem tantiſper induit, ut, quò demum pergeret JESU Socius, habitu indicaret. Ad hæc ſacro ſe oleo inungi poſtulat ad ùltimam cum infernis hoſtibus luctationem. Quamquam & hos profligaverat, qui tota vita ſecum ipſe pugnaverat & vicerat. Hinc voluptas illa triumphalis, & ſupremo in labore maxima, ingenuè cum Collegij moderatore communicata, ut, ſi profutura exemplo crederetur, domeſticis pateſieret; quòd videlicet non meminiſſet, unquam â ſe in Societate noſtra dedita opera vel leve crimen admiſſum, aut inſtituti noſtri ſanctiones & juſſa violata. Igitur inter profuſiſſimas circumſtantium lacrymas ejus oleatis ac tranquilla lætitia ſupernatabat: ut planè dici poſſit fuiſſe tandem inunctus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Mox, quibus illa è fontibus uberrima fluxerit lætitia, ut opinor, ſignificavit; cum pendentis è Cruce Chriſti effigiem

conſer-

confertis è globulis corona, cui Rosarium nomen fecimus, circumdedit: ac Societatis nostræ legibus inscriptum libellum, cursim perlectum, ijs adjunxit simulque manu præferens, Tria hæc, inquit, mihi charissima; cum his libenter moriar: cum denique jucundissimæ illum myrrhæ fasciculum deosculatus pectori appressit, ut arcanam exprimeret svavitatem. Usque adeò supremæ voluptatis torcular Crux est. Ubi fama vulgavit, imminente jam obitu Berchmannum peregrè abiturum, fit ad ejus cubiculum concursus cum externorum hominum tum nostrorum, ut vale ultimum vitam feliciorem inchoanti dicant: ut supremo complexu fugitivum tantisper bonum remorentur: ut optimam oratricem, integritatem, ad Cœlites (ut spes est) digredientem utiliter prehensent: ut virtutis halitum legant exspirantis. Rem habeo sanè mirandam hic affirmare, Humanissimos inter amplexus moribundus juvenis tam apposita singulis consilia dabat, ut animorum arcana explorata habuisse videretur. Sed properare jam convenit, ut properantem Berchmannum pari celeritate, si minùs digno preconio, prosequatur oratio. Quare multa silentio no-
ctis

ctis extremæ involvenda sunt, quibus eadem inclaruit: domesticos nempe Socios omnes certatim excubâsse morienti, ut illustrem vitæ innocentis occasum nox ostenderet: prævisô prædictoque summo certamine, langvidum & moribundum validè inferno cum hoste pugnâsse, & epinicium voce illa cecinisse: *Abi Sathana! non timeo te*: quid enim timeret, qui tam fortiter amaret? in arcano mentis conflictu repentè mutato vultu & contentiosis vocibus divinæ offensæ præoptasse millies ac sæpiùs emori, ut toties meliùs viveret; quippe qui consciam criminis vitam meram esse mortem existimabat: quam ad exitum usque duraturam prædixerat, meritò viguisse deficiente vita vocem, ut è proximo Cœlites compellaret. At ecce tandem fixis oculis in affixam Cruci Salutem, quam feliciter manu tenet eâdemque manu Deiparæ Virginis coronam è globulis, & Societatis nostræ leges continentem codicem, optimas nempe pietatis suæ tesseras præferens ad facilem aditum felicitatis; postremò JESUM & MARIAM cupida invocatione suspirans, ad suspiratos amores certatim properantem cum voce animam exspirat, ut eorundem perbe-

perbeato in complexu tota æternitate reſpiret. Obijt Idibus Auguſti, biduo ante Aſſumptæ in cœlum Deiparæ ſacrum diem, ut, quò abierit, obitus doceat Virginali proximus triumpho. Et ſanè decuit ad coronam Virginis triumphalem præcerpi hoc etiam lilium. Vulgata mors domeſticas ubertim lacrymas elicuit: quia nullus erat pretioſior probitatis funeri condiendo, quàm è corde per oculos exſtillans, liquor. Confluxit etiam ad cadaveris venerationem numeroſa hominum & promiſcua multitudo. Uſque adeo virtus ſuo lucet in cinere. Ut viſentium principum virorum pio ſtudio fieret ſatis, biduo inſepultum corpus ſervatum eſt: nec tamen per ſummos æſtus fœtere cœpit. Cur enim graviter oleret ejus pars, qui totus Chriſti bonus odor fuerat? Quiddam hic accidit alijs admirabile, mihi non ita. Dum condiendum cadaver eviſceratur, carere felle compertum eſt. Cur enim fel in Amoris victima? Neque hoc loco admiror publicum omnium ardorem contentionemque, particulas veſtis & corporis expoſcentium: quia virtutis maximæ cœlumque complexæ pretioſis exuviis recondendis par unus eſſe locus non videbatur. Non refero dome-

domestica etiam gravissimorum Patrum chirographa, singulas extincti juvenis laudes contestantia; cùm sibi quisque decorum duxerit, qui illum nôrit, ejus esse historicum. Sed elegantiorem ipse de se historiam nescius edidit, cùm, quas sibi præscripsit, minutissimas leges, accurata vitæ ratione custodiendas, scriptas reliquit: ut nescias, utrum adultam in adolescentia virtutem scribendo, an agendo pulchriùs expinxerit. Istam virtutis excelsitatem gentile cognomen, ipsi maximè accommodatum, præclarè adumbravit; quando, vox Belgica, *Berchmannus* Montis virum Latinè sonat. Quòdsi posteritas velit pulcherrimum animum suo in speculo cognoscere, notas corporis exhibemus. Statura mensuram auream, virtuti communem, hoc est, mediocritatem, implevit. Temperies humorum florido sangvine feliciter exuberavit, qui candorem animi pudoremque niveo roseoque proderet in vultu. Spatiosa frons, magnarumque curarum capax: igne casto vivaces oculi, & ad modestiam prælucentes: modicè productus nasus, & ad prudentiæ notam clementer incurvus: tenui brevique crepidine rubentia labra, ad obligandos parco cautoque sermone a-

 nimos

nimos planè vitta coccinea: capillus tam pretiosi capitis jure aureus: facies viriliter oblonga: totus denique habitus ex æquo gravis & decorus satis indicabat supra ætatem adolevisse virtutem, eandemque jam æternitate dignam, quæ tempore ipso velocior tam citò maturuisset.

SYNODUS TIBURTINA.

Sive

De consultationis bono.

ORATIO. XXIX.

QUam diem optatissimam, ac Tiburti populo salutarem Sol ipse, publica mundi lux, per annos quinque ac triginta non indulsit; ut in commune bonum animorum consilia singulorum convenirent, hanc purpuratæ sapientiæ tuæ (Præsul illustrissime) nobis tandem affulgentis beneficio felicissimam illuxisse gratulamur. Quænam enim è luce sapientia

tiæ alia, quàm felicitatis dies naſceretur? Hanc ego felicitatem ubi breviter oſtendero, feliciter peroravero. Et ſanè quid accidere civili poterat ſaluti felicius, quàm id ipſum, quo civitatum feliciſſimæ floruerunt? Conſilijs illæ, quàm mœnibus munitiores futuræ conſulturos æquè homines, atque convicturos è ſolitudinum divortio ad ſocietatem vitæ convocarunt. Montana ipſa Citheronis ſaxa concentu veriùs animorum, quàm fidium cantu, in Thebani muri membra, in ampliſſimæ urbis corpus coaluerunt. Quid beatiſſima urbium Roma? nonne ſenaculis, quàm domiciliis propê frequentior; quæ juvenili manu fundata, paucos ambitu colles complexa primùm eſt; ſenatorijs tandem comitijs propagata terras ditione univerſas occupavit? Quanquam pudet ex antiquiſſimis civitatibus conſultationis petere antiquitatem, quæ divinæ ipſi æternitati æqualis eſt. DEUS ipſe in auguſta illa Divinitatis unius ſolitudine minimè ſolitarius an non infinitum trium Perſonarum ſenatum habuit, cum conſultiſſimis ijs vocibus divinè nobis conſuluit, (a) *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram?*

H2 Quod

(a) Gen: 1.

Quod si de homine faciendo deliberavit DEUS; quidni nos de ejusdem ad virtutem reficiendi opere divinissimo consulamus? Quid autem divinius effici possit ab homine, quâm quod inter homines effecit factus homo DEUS? Ille igitur magni consilij Angelus, immortali posthabito Beatorum concilio, ex inaccessæ majestatis Augustali ad mortalitatis nostræ Curiam, curis ærumnisque septam, sese demisit, ut de humana salute restituenda non sine homine consultaret. Atque ex eo tempore deligere cœpit è multis paucos, quorum in medio consultantium esset, (a) etiam ubi duo vel tres in ejus nomine congregarentur. Quid ergo vel pauci feliciter non evincant, quorum consilijs media interest ipsa felicitas? Testor hic ego aureum prodigium illud ignei turbinis, quo Christianorum procerum ad principem conventum consultrices in linguas effusas properavit DEUS. Nimirum piè consulentium lingva DEUS est. Et miramur, si mortales hujusmodi cœtus, atque humana concilia in flagitiorum tyrannidem, in tyrannorum impunitatem sæpe de terris tonare ac fulminare facundo vehementius Pericle, superbo

(a) *Matth:* 18.

uperbo laudabiliùs Salmoneo potue-
unt? quando divinus, qui ſuberat ſan-
tiſſimis ijs cœtibus, ignis in fœda ſce-
erum tempeſtate non poterat in toni-
rum ac fulmen non erumpere. Æqui-
em gratulari ſatis hic nobis non poſ-
um, Patres, ſynodi noſtræ felicitatem,
uæ nacta id temporis eſt, quo cæleſtibus
ammis ad rogale vitiorum incendium,
d vitalem virtutis lucem abundemus.
Dies hæc flammarum fertilis, & Lau-
entij, quàm Solis, igne illuſtrior, quæ
ivino Amori fortiter militantem juve-
em igneo tormento ſvaviſſimè torruit
(ignis enim amanti mera ſvavitas eſt)
uantum præſentiſſimi nobis caloris inſi-
uabit, ut glorioſum ad opus feliciter
rdeamus? Hoc ipſum, in quod conve-
imus, templum, tuo, Laurenti, nomi-
e laureatum: hi tibi ſacri parietes,
uo ex incendio excitati, quantum ejus
obis ardoris afflabunt, quo patriæ ſplen-
lor virtutis ad immortalitatem augea-
ur? Et verò par erat vetutiſſimi tem-
li majeſtatem, quod Adriani Cæſaris
rabeata ſuperſtitio fabuloſi Herculis,
nceſta magis flamma deflagrantis, quàm
Detnææ pyræ gloria effulgentis, indigno
ultu profanaſſet, caſtiſſimi Herois, at-
que in vitiorum monſtra ipſo longè

Herculſe fortioris Laurentij luſtralibus flammis expiari, ut ex ijſdem, quibus infuſcatum obſoletumque tot annorum ſitu pietatis priſtinæ nitorem extergere hodie aggrederis, Præſul optime, quantum nobis felicitatis illuxerit, perſpiciamus. Unum jam illud ab ardentiſſimo inter ignes Oratore, Laurentio, extrema precatur oratio, tantum ut huic cœtui divini caloris imploret, quanto eſſe opus intelligat, ut ad ſalutares hujuſmodi conventus in poſterum vehementius inflammemur.

HEBRAICÆ LINGVÆ SVAVITAS.

Sive

De literis Hebraicis à falsa criminatione vindicatis.

ORATIO XXX.

Abdita & penetralia Hebraicæ adyta sapientiæ veteri more novus novo cum anno Mystagogus Divinitatis contemplatoribus monstraturus, Patres, quôd opportunam plurimorum eruditionem pretium operæ me sperarem habiturum, partibus non mediocriter meis gratulabar. Intelligebam enim, Hebraicis uberiùs è fontibus, quàm Græcis ex Heliconibus, hauriendam promanare sapientiam. Verùm (ut præposterè sapimus mortales, qui de rebus excelsissimis humiliter demissèque sentimus) adeò delicato nobilissimarum fastidio literarum plerique laborant; ut illæ jam ad cognitionem perdifficiles, ad sermonem insvaves, ad usum pæne inutiles existimentur. Ita verò ijs obstinatè ac religiosè, molesta scilicet

licet hominum natio, abſtinent; ut uni ad illas, tanquam ad Sancta ſanctorum, ſacro interpreti & magiſtro aditum acceſſumque patere putent ſatis, quas è veſtibulo ipſi atque è limine tantùm, ut dicitur, veluti profanum Judæorum vulgus ex atrio, ſalutant. Præcocem igitur ſperati fructus voluptatem ex injuſto nata præjudicio juſtiſſima corrupit admiratio. Atque illud equidem admiror in primis, quod ajunt, genus hoc ſermonis enixè præcordijs totius contentione ſpiritus inhalandum, ſi loquamur: magicis verò quibuſdam portentoſiſque notis delineandum, ſi ſcribamus, ſic laborioſum eſſe ac moleſtum; ut neque animo percipi, neque ore proferri, neque manu poſſit exarari. Itane verò? Ergo primigenius ac nativus ille ſermo, qui principe cum homine, & cum ipſa natus eſt humanitate barbarus? quem teneri adhuc mundi aurea balbutivit infantia, durus? qui voluptatis in paradiſo floruit, ſpinoſus? quo præpotens Imperator ac Legislator, DEUS, homini ſacroſancta jura præſcripſit, contemnendus? quem cœli terrarumque amor ac deliciæ, Divinus Magiſter Chriſtus, (a) ille, cujus lingva mel & lac, humano generi

(a) *Cant:* 4.

generi eloquenter eliquavit, non ſvavis? quem denique in ſupremo illo ſempiternæ felicitatis domicilio beatiſſimorum civium labium (*a*) ſonabit electum, horridus cuiquam eſſe poſſe videatur? longiſſimè enimvero diſſonos inter Babilonicis lingvis Gigantes â feliciſſima patria exulamus; qui vel patrium avitumque ſermonem ita dedidicimus, ut etiam abhorreamus. Vos autem bono eſtote animo, quicunque animum ad has literas adjeciſtis, Auditores. Non hic robuſtam in vobis Alexandri calliditatem exigo, qui peregrinam lingvam nodo illo inextricabili, cui priſca ſuperſtitio Aſiatici ſpem implicuit Imperij, nihilo putetis minus nodoſam, impeditam inobſervabilem. Caret illa innumerabilibus ijs, quibus cum Græca, tum Latina Syntaxis inhorreſcit, quæſtionum ſalebris atque aſpretis: ut qui Hebraica nomina & verba callidè argutéque inflectat, Hebraicê ſapientiſſimus ſit. Neque verô in proferendis vocibus, Demoſthenis duratam calculis & lapillis patientiam, certantemque cum maris fremitu ſpiritum deſideramus. Equidem ridere ſatis non poſſum ridendam nonnullorum in ijs, quæ ex ipſo gutture petitæ vegetiore

(*a*) *Soph: 3.*

tiore sono efferuntur, litteris contentionem: ut non aspirare litteras; sed animam penitùs exspirare atque extussire videantur. Neque tandem Ægyptio ad scribendum pictore indigemus, qui suppositi tias pro characteribus animantes laborioso lineamentorum ductu mentiatur. Quid enim, quæso, facilius esse possit, quàm recto plerunque, ac simplici linearum tractu quadratos characteres ducere, nullo inter se vinculo colligandos? Hoccine igitur lingvæ genus illud est cognitu obscurum, dictu barbarum, asperum auditu, lectu etiam (si DEO placet) horrendum? Quanquam eorum ego Catonum importunam censuram admiror magis, qui Stoicis malè intemperijs agitati Hebraicam litteraturam homini Latino supervacaneam inutilemque austerè ut censent, ita confidenter, tanquam ex tripode, pronuntiant. Frustra nos, inquiunt, gravioribus deditì disciplinis, in primulis minutisque exteri sermonis elementis repuerascimus, quæ, ne dissono strepitu deblateraremus, avita veterum sapientum eruditio sacris in libris Latio lepore ac civitate donavit. O vocem majoribus ingratam, perniciosam posteris, omnium pariter sibilo convitioque consectandam!

Levia

Leviane sunt ac puerilia Hebraicarum tirocinia literarum? at suæ majores eruditioni authoritatique non mediocrem ijs accessionem fieri arbitrabantur. Gravioribus debemur posteri disciplinis? at rerum complexa cognitionem omnium, ipsoque fœta DEO, lingva gravissima est. Hebraica Latinè mysteria nostratibus in libris legimus? atque parcum & colligimus, Hebraicè si nesciamus. Timidè dicerem, nisi fidentem faceret Platonicæ philosophus authoritatis, Jamblichus Chalcidensis; cujus ad Hebraicam litteraturam, quam ipse barbaram, hoc est, peregrinam vocat atque externam, honorifica illa pertinet in Phœnicum Theologia commendatio: (a) *Neque vero eandem, inquit, omnino sententiam tuentur ac servant nomina in alienam transfusa lingvam: sed sua sunt & peculiares cuique genti vocum potestates ac vires, quæ nequeunt aliarum gentium vocibus significari: ut, quamvis accuratissimè explicentur, vim tamen eandem retinere non possint. Habent autem barbaræ voces suâ ex indole ponderis plurimum arguta quadam ex brevitate non parum leporis è verborum parca supellectile minimum ambiguitatis.* Sed illa non

(a) *De nomi: divin:*

la non minùs confonat in rem noftram graviffima ejufdem vox, *Barbari ftabiles in affectionibus : in verbis etiam iisdem conftanter perfeverant. Quapropter DEO chari funt, eique grata offerunt verba, quæ nulli hominum fas eft quovis modo commutare.* Hinc feverum Origenis, ut pœne prætorium edictum, ne quis Hebraicas voces alienam vertat in lingvam, fed fuis notis fanctè cuftodiat incorruptas. Adeo facras Hebræorum litteras univerfa colebat & callebat antiquitas; ut, ne qua eas lingva extera evulgaret, edici facilè poffet univerfis. I nunc, quicunque facra volumina Hebraicè imperitus evolvis, atque inftar Aquilæ (a) magnarum alarum ad medullam cedri provolâffe te ac penetraffe gloriare, qui vix interpretem librum aliquem, & corticem rudi roftro momorderis. Jam verò permagni intereft utrum cujufque fapientiam nationis nativi fermonis è fontibus ebibas, an peregrinis lambas libefque de rivulis. Atque ut infinitos externarum non tam regionum, quâm difciplinarum curiofos exploratores omittam: Plato Ægyptiam Philofophiam longinqvus hofpes non Athenienfi aliquo è fonticulo primoribus, ut ajunt, labris

(a) *Ezech:* 17.

labris deguſtavit, ſed liberaliter hauſit ex Nilo. Nos verò ſapientiores ſapientiſſimis avis nepotes obſcuriſſima rerum arcana divinarum, Hebraicis penitùs abſtruſa latebris, per aprica Latij expoſita credimus atque obvia ſacris petenda Jordanis è ſcatebris, Latino fruſtra expiſcamur in Tiberi. Non iſta majorum ſententia & conſilium, quos inter Hieronymum, canæ jam eloquentiæ ſenem, Hebraica rudimenta balbutire non puduit ad infantis DEI Bethlemias cunas. Ut mirandum non ſit, ſi DEUM deinde ſonuit eloquentior: ſi turbulentiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, frequenti ſacris ſuper litteris quæſtione gravia ex ipſo effata & reſponſa petebantur. Quænam enim enthea DEUM ſpelunca efficaciùs afflaret, quàm quæ DEUM genuerit? aut quod eloquentiæ genus uberius atque amabilius, quam quo corporata Sapientia locuta ſit? Ut non Græco Platonis ore locuturus DEUS, ſi delaberetur in terras; ſed Hebraica locutus lingva jam delapſus, ad abſolutam ipſius cognitionem nobiliſſimum ſit ingenuis animis incitamentum. Quòdſi doloſè docilis adulatio poteſt barbaros Domini non mores modo, ſed ſermones etiam condiſcere atq;

re atque imitari: cur pia recuſet imitatio voces & verba cum DEO habere communia? Atque utinam: quando nos hæreditariam parentis optimi orationem grata veneratione piget uſurpare; divinum in patrimonium hoſtes nequiſſimi ſacrilego ludibrio non involarent. Præripitur nobilis enimvero, præripitur paterna ſacroſancti ſermonis poſſeſſio ab hæreticis prædonibus, quo eruditam pietatem impiè mentiti ſacras adulterant litteras: divina oracula profanant: ampliſſima terrarum regna, pravis opinionibus corrupta, ſceleri mancipant: ſtatas ſolemneſque cæremonias refigunt: delubra ſanctiſſimis religionibus conſecrata polluunt: in Vaticanum imperium, ipſis verendum Cœlitibus, conjurati ſtolidè debachantur: noſtris nos telis & machinis oppugnant, ac more Gigantum inſaniſſimi homunciones cum DEO bella ſuſcipiunt. At nos, generoſi ſcilicet paternæ religionis propugnatores, inermes ac nudi ab ijs, quibus cominus pugnemus, armis, Latinas eminusq́; petitiones conjicimus, quas parva illi declinatione callidè malitioſèque effugiant. Et quiſquam eam literaturam inutilem dicat, in qua tantum collocant hoſtes virium ad perniciem, quan-
tum

tum opis habemus ad ſalutem? Quid ſi bellicum nobis non ſit cum hoſte negotium? pacato etiam in otio eadem opportuniſſima erit, cæteriſque longè litteris anteferenda. Quantum enim, quæſo, quæ principes habentur, Græca Latinaque eruditio ſuperſtitionis admiſtum habent? qualem illecebram turpitudinis? ut, niſi cum ſocijs Ulyſſis Sirenum ſcopulos cantuſque ſurdis auribus præternaviges, voluptarium naufragium facias. Atqui nihil Hebraicis divinarum litterarum è fontibus non purum, non liquidum fluit: ex ijs cum eruditione religionem bibes, innocentiam, ſanctitatē; quodque ſupra votum, ac prorſus divinum eſt, ipſum hauries DEUM. Hinc ad cæteras etiam lingvas, quæ proximè ad hanc laudem accedunt, pretium corrivatur ac dignitas. Equidem, ſi quid Græcas, ſi quid Latinas litteras adamavi & colui; non eo præſertim erudito me lenocinio delinitum fateor, quo blandiſſimè auribus animiſque adulantur: ſed eam ob cauſam animum ad eas contuli, quôd in auguſtiſſima Cruce Amoris melius, quàm Prætoris manu, Hebraicis ſubſcriptæ notis virale Regis extincti nomen ac ſalutem ſonant. Hactenus admiratio preluſerit apud vos mea. Si

quid

quid illa profecerit, ut litterarum nobilissimæ colantur: tum verò muneri meo publicæque quam mihi proposueram, utilitati gratulabor.

HEBRAICÆ MUSÆ
Sive
De disciplinarum omnium Hebraica origine.

ORATIO XXXI.

JUbeor iterum peregrinæ lingvæ interpres Romanè præfari, qui vestras, Auditores, ne inconditæ orationis rusticitate aures inurbanè offenderem; verecundo biennij silentio Latinam Harpocrati vocem consecrâram. Nam quid mihi cum Musis, mecum ipse tacitus mussitabam, quæ mollissimis Græciæ Latijque cantilenis assvetæ tota exhalatum anima Hebraicæ strepitum Synagogæ perhorrescunt? Sed corrigo me, & meo clam cum animo mussitata consilia palam in præsentia recanto. Ajo igitur Latinæ nihil accidere litteraturæ congruentius posse, quàm Hebraicarum studium

ſtudium litterarum. Hoc ſi Latinè perſvaſero: & Romanæ conſuluiſſe eloquentiæ, & jam olim deſertarum redijſſe me Muſarum in gratiam exiſtimabo. Hebraicum ſermonẽ originẽ ac fontem eſſe reliquorum, vetus veruſque ſapientium ſermo eſt. Etenim primigenio congenitus ac gemellus Adamo cum fuerit: ut hominum ex illo, ita cæterorum ex iſto ſermonum fluxit numeroſa poſteritas. Et verò undenam debuit ad omnes nationes vocum varietas derivari, niſi ex ea lingva cujus vel ſingulæ litteræ, atque ipſa puncta, pæne mathematicis minutiora, divina eruditionè ſcaterent? Ut mirandum non ſit, hac de ſcatebra rebus apta nomina univerſis emanaſſe, unde nomen explicando Numini par exſtitit; quod etſi quatuor litteris breviſſimum, in immenſum tamen Divinitatis orbem aptiſſimè quadrare videatur. Quanquam parum fuerit divinæ linguæ mera rerum vocabula ſtrepere, Quidni diſciplinas nobis omnes profuderit, quæ Deum ipſum ſcientiſſimè ſonuit? Poſſem id ego pluribus demonſtrare, niſi compertiſſimum eſſet, ſacros Hebræorum, libros eruditione planè omni affluere quam curioſitas erratica plurimorum, omiſſo fonte, Græcis Latiniſque in rivulis

vulis consectatur. At quanto labore eam tandem unam Socraticam scientiam assequitur, (*a*) ut nihil sciat? novum hic habeo & pœne incredibile afferre; credendum tamen, quia factum est. Ille Romanorum Græcè Latineque doctissimus M. (*b*) Terentius Varro, qui Lactantij præconio tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur; tam multa scripsit, quam multa vix quenquam legere potuisse credamus: ille, inquam, vir tantus ingenio, tantusque doctrina, quôd Hebraicè nunquam, sive Chaldaicè legerit aut scripserit, in ipsa patria lingva interpretanda lapsus est non semel. Utinam hoc à me accusatoriè potiùs, quàm Latinè diceretur: ne sapientissimo viro certissimam erroris notam necessariæ lingvæ inscitia inurere videretur. Verum apertè atque ingenuè fateri me jubet id, quod res est, severa quidem, at vera Josephi Scaligeri, hominis de eruditione meliùs quàm de religione, censentis censura illa: (*c*) *Sæpe labitur Varro peregrinarum ignoratione lingvarum.* Vestrum hic appello prudens eruditumq; judicium, Aud. Quis enim; ut unam è multis, ab Oriente natis Latio, vocabulis

(*a*) *Diogen: Laert: in Socrate.* (*b*) *L. 1. C. 6. Instit:* (*c*) *In conjectan.*

lis vocem afferam; quis, inquam, veſtrum falcis nomen non à *falqa*, Hieroſolymis quoque falcem ſonante, cum eodem Scaligero verius, quàm à farre cum Várrone deducat? Prudenter ſanè Græciæ oraculum, Plato, ùt ſapientiſſima reſponſa redderet, Græca Hippocrene relicta, Hebraicam ſapientiam, Abrahami peregrinatione corrivatam, Ægyptio bibit ex Nilo. Tanti eſt Hebraicæ lingvæ non contemnere ſtudia, ex quo fonte omnium promanat eruditio nationum. Jam verò ſi quis hujus patriam fontis exquirat, dignam habeo divino fonte oſtendere terreſtris Paradiſi amœnitatem. Hic ille tam ſvavis erupit, ut ipſe primos hominum parentes Hebraicè allocutus prægustârit Deus: tam uber effluxit, ut quadripartito illo ejuſdem paradiſi fluvio uberiùs omnium ſcaturigine ſermonum terras irrigârit univerſas. Quid jam ſupereſt, niſi ut eruditionis fontem erudito cœtu coronemus? Muſas cœli filias, hoc eſt, cœleſtes intelligendi atque eloquendi facultates, Græcis montibus fontibuſque vetus fabula affixit atque affinxit: quòd altiſſima eminere ſapientia, quòd uberrima ſcatere eloquentia Græcia crederetur. Atqui nobiliſſimum, planèque cœleſtem in terris diſciplinarum

chorum

chorum, quas ego quoque priſcis unâ cum ſapientibus bona cum venia veritatis fabuloſo nomine Muſas appellabo, non ad prærupti montis inhoſpitalem horrorem exulâſſe, ſed amœniſſimum in hortum voluptatis conveniſſe: non caballino fonte labra proluere, ſed hoc divino fluvio ingenioſam ſitim explere ſolitas eſſe crediderim. Ubinam enim terrarum cœli filiæ, quam terreno in Paradiſo, decentiùs hoſpitentur? Igitur, ſvaviſſima Muſarum eloquentia principem ſvavitatem Hebraico largè de fonte potavit: quòd illo in loco, in quo florum formoſitate pulchriùs hominum vernaret felicitas, fontium perennitate uberius Hebraicæ fluxit facundiæ ſvavitas, quæ ad beatiſſimæ regionis amœnitatem cumulandam alio quovis aptior ſermone prudentiſſimo artifici Deo viſa eſt. Et quiſquam dubitabit, propitias Latio Muſas è Paradiſo, quàm è Parnaſſo, melius evocari? dubitabit Latina commodius ingenia Hebraico fonte, quàm Romana littora Hetruſco flumine, irrigari? Neque verò aliunde Muſas adeſſe nobis decebat, quàm ê Solis orientis ora, unde, Muſarum dux & præſes, Apollo liberaliter affulget. Ut ineptum atque abſurdum nemini videri debeat, ſi eaſ-
dem

dem in Arabia obvias Osiris habuisse dicatur. Quin etiam (quod jure nobis hæreditario inter ærumnas lætandum est) quandoquidem procul exulat â ligno vitæ humana mortalitas; in opportuniorem Calvariæ collem, ubi Vita ipsa stabilem trabalibus clavis sedem fixit, Hebraicæ Musæ transmigrarunt. Melior hic è Nazareno flore Paradisus, atque hortus voluptatis est. Hic etiam affluit non una tantum, sed quinque de scatebris sapientiæ perennitas, quæ tamen non Pegasei ungulam equi, sed amantis Dei cor sapiat; quæque sangvineo purpuret colore: sive quòd Rex effudit, sive quòd Amor elicuit. Hic tandem, ut necessarias in primis lingvas, quo propagatæ nexæque sunt inter se ordine ac serie, divina nos doceret Sapientia, suum nobis Regale nomen legendum proposuit Hebraicè, Græcè & Latinè.

HEBRA-

HEBRAICÆ LITTERATURÆ SECURITAS.

Sive

De arguto dicendi genere usurpando.

ORATIO XXXII.

SAtis superque multa jam annis superioribus pro Hebraicis litteris: pro me hodie pauca dicam, Auditores. Fatebor ergo Romanè, quare homo Hetruscus libens Hebraicè loquar. Atqui perspicacissimus, credo, aliquis cogitatione jam prospicit, ac meæ mihi præmonstrat peregrinæ causas voluptatis. Delectaris, inquit, homo minimè laboriosus barbaris istis obsoletisque literulis; ideoque divinas frequentissimè prædicas: ut in brevissimo docendi per semihoram labore diuturnæ quietis invidenda nactus alcedonia, vulgatissimam atque ipsis decantatam pastoribus laudem illam tibi vendices, ac magnificè vendites: *Deus nobis hoc otia fecit.* (a) O perspicacitatem insigniter luscam! cujus

(a) *Virgil. eclog.* 1.

cuius ea palmaris hallucinatio eſt, ut ſenile negotium otium ipſi puerile videatur. An tu otioſi hominis leviſſimam occupationem arbitraris, eum, quo Deus ipſe ſit elocutus, docere ſermonem, ut homines divinè loquantur? Enimvero, dicat alius, non ejus iſta ponderis Hebraica virga eſt, ut eam præferens vel trabalem Herculis clavam adverſus Hebraicarum monſtra difficultatum, vel arboreum Polyphemi pedum, ad moderandum Hebraicè balantem gregem, ægrê tibi ſuſtinere videaris. Quin potius te magnificis verbis caduceatorem facis, ipſo Mercurio efficaciorem? quòd unum ille Argum, unius vitulæ oculatiſſimum cuſtodem, ſomnifero caduceo ſemel conſopivit: tu verò virga Hebraico murmure medicata ſomnum inter atque omnium oculos Auditorum fœdus ac pacem quotidie concilias. O ſales, ſi plus ſalis haberent, non inſulſas! O valentem virgatorem, qui fragili virgula ſolidam potes Hebraicæ ſapientiæ gloriam infringere? Tu virgam iſtam ê profana fabularum ſylva nullum in uſum fructumque præterquam ad riſum & ludibrium, natam putas? Quin eam fateris atque admiraris, è ſinu ſilveſtris matris avulſam, divini repentè ſermonis magiſtram

giſtram, atque (ſi cum fabuloſis conferre licet) Dodonea quercu veriùs vocalem evaſiſſe? Quin decentiùs eandem Moſaicæ virgæ quaſi gemellam ſuſpicis? quòd hæc etiam efficaci verbere lapidem ſcatere doceat, non optatiſſimæ quidem aquæ repentina copia, ſed nobiliſſimæ litteraturæ erudita perennitate. Pudet jam iſtos in re ſeria nugatores audire diutius. Erit aliquis fortaſſe, qui prudentiùs exiſtimet, idcirco medio me in Latio Hebraicis vocibus delectari; quòd cæteræ voces hominem, hæ Deum ſonent. Id equidem cauſæ non diffiteor: non ea tamen una à noſtratibus ad externa verba revocavit. Quis ergo tandem iſte ſit Hebraicus magnes, qui duriorem ferreo cognomine indolem arcanis nodis trahit ad ſeſe? Ad inſolens reſponſum aures animoſque arrigite Auditores. Hebraicis Latina poſthabui, ut gaudere minùs & minùs dolerē. Animadvertitis, opinor, quo vergat oratio. Sic eſt. Malui non intelligi, quam non probari. Nam, ſi mea vox tonitru ſonet eloquenti, qui ſcit, an illo ſtrepitu excitetur Stoici ſupercilij Brutus aliquis, eamque quam nos eloquentiam vocitamus, ipſe, ut olim in Tullio, Aſiaticam loquentiam appellet, plebi quidem tonantem, at ſenatui
obſtre-

obstrepentem? Neque enim ex ijs sum, qui nimirum sibi placent: ut mihi temere persvadeam, probaturum in me Brutum, quod in Cicerone damnârit. Largi quondam Licinij liberi, (a) crudeli titulo Ciceromastix, Ciceronem dicaci libertate laceravit. Et sperem ego eadem mastigiæ Licinij licentia eloquentiam meam, tanquam Tulliolam aliquam, suo cum parente Tullio non vapulaturam? Sin autem; ut Licinios placem, ut Brutis placeam; tumidum rotundumque sermonem in acutum concisumque externum: malê metuo, ne innoxijs acuminibus immerito irritati docti crabrones in id genus dicendi suos vicissim aculeos exserant, quibus, si non corpus, at certe nomen gravissimê saucietur. Quid, si se suis contenti, in cæteros austeri, ætatis nostræ Aristarchi festivas argutias consectantem me de puerili levitate accusarent? Satisne defenderent oratores illi ac patroni disertissimi, sive apud Græcos Hyperides (a) molliter acutus, sive apud Latinos Tullius lepide argutus? quorum uterque apud optimos judices non modó levis non est habitus, verum etiam

(a) *Aul. Gell: Noct: Attic l.* 17. *c* 1.
(b) *Cic: Orat: ad Brut: Quint: Instit: l.* 10. *c.* 1. & 5.

faceto lepore profligatiſſimas cauſas feliciſſimè peroravit. Teſtem produco Tullianæ urbanitatis ipſam inimicorum calumniam, qua facetiſſimus Conſul, ſcurra conſularis malignè nominabatur. Atque utinam in magnitudinis juſtæ volumen à Tulliano liberto collectos lectiſſimos Tullij ſales, per corrodentem & corradentem optima quæque vetuſtatem, habere noſtro ſæculo liceret. Sperarem equidem nonnullorum judicia ijſdem ſalibus poſſe condiri. Quid, ſi præterea iſti acti temporis laudatores veteris eloquentiæ aculeos commendarent, quod pura nitidaque elocutione aurei animos amabiliter pungant: recentis vero ſpicula brevitatis improbarent, quod corrupto degenerique ſermone plumbea odiosè aures vulnerent? Satiſne aurea probarentur, quæ ſapientiſſimis noſtratis auri æſtimatoribus gratiſſima ſemper accide rint? Liceat hoc loco per humanitatem veſtram, Auditores, quod à Latinis factionibus ad Hebraicam pacem perfug verè ſentio, impunè profiteri. Equidem ſic exiſtimo, dicendi formam orationi magnitudini congruere debere: ne ridiculè, ut dicitur, major pede ſit calceus Ubi campus aperitur, explicatis effuſi que verborum agminibus pugnet, ac tr umph

umphet eloquentia: in anguſtiſſimis verò thermopylis coacto acuminum cuneo ad victoriam irrumpat animorum. Monet adſtricta numeris quid ſoluta facere debeat oratio. Illa enim in longo pöëmate profusè canora luſciniam ſonat: in breviſſimo autem epigrammate ſtrictê minuteque arguta figit aculeum, ut mel infinuet eruditæ ſvavitatis. At bonum animum habete Mathematici. Illam adhuc irrepertam quadrandi circuli orationem aliquis tandem Rhetorum excogitavit: ſiquidem ad ea, quæ brevitatem exigunt ácutam, oris rotundi verboſum hiatum quadrare arbitratur. Quid hoc artis eſt, (a) à lippo etiam pöëta non ſine irriſione perſpectæ, ubique cupreſſum, etiamſi locus non ſit, importuna ſimulare velle pictura? Si naturam, ſi artem conſulas? nihil utraque magis exemplo ſvadebit ſuo, quàm delectantem unicè varietatem. Humani vultus etiam in Gemellis omnino gemelli ac ſimiles non ſunt. Pictæ tabulæ pretioſæ habentur unius diſſimillima imitatione naturæ Et velint cenſores iſti caſtigatoreſque lingvarum unum ab omnibus exigere ſermonem? Quis, amabo, veſtrûm eam amet in hominum cœtu ſimilitudinem, qua mortales

(a) *Horat: in Art: Poët.*

ad unum omnes turgidæ orationi germanissimi, doliaris ventris obesitate sint Bacchi fraterculi? At sermonum unus optimus & pulcherrimus est. Hisce igitur authoribus & judicibus pictarum pleræque tabularum, quamvis probabili artificio elaboratæ, quòd Appellææ non sunt, pessimo flammarum in lumine collocentur. Humanorum plerique vultuum, quamvis admirabili naturæ ingenio perfecti, quòd Nireum non referunt, carnificis ferro dedolentur. Verùm esto, non censeatur optimum ac pulcherrimum dicendi genus, quod rebus ipsis accommodatum est; sed quod istis videtur. Ex re tamen ipsorum esset argutam hanc, ut ipsi appellant, barbariem tolerare: ut eorundem urbanissima oratio, barbaræ composita, pulchriùs emineret. Væ tibi Plini; væ vobis cæteri minorum gentium Panegyristæ, si hac ætate viveretis. Ad horum enim arbitrium argutissimâ lingvâ præcisâ, nutibus & manibus loquendum foret. Tibi verò, sententijs, quàm verbis eloquentior, Seneca, (a) nisi placidæ mortis vetus optio sangvinem elicuisset, concisæ in minutos numeros orationis recens pœna venas omnes immisericorditer incideret. Atque

(a) Tacit: Annal: l. 15.

que hic ſanè vehementer admiror, ex ijs ipſis: qui preſſæ orationis acumina paſſim improbant, non paucos & acutè dicere, & videri velle acutulos. Atqui ſerviendum tempori eſt, inquiunt, quod iſtam lenocinantem auribus animiſque dicendi corruptelam amat. Cur ergo veſtro, integerrimi Judices, exemplo cæteris peccare non licet? Non enim crediderim, modeſtiſſimos homines adeo ſibi pulchros eſſe, ut omnes ipſis diſpliceant, atque omnibus placere ſe putent. O immortali dignam præconio prærepti Stephonij eloquentiam? quam in conciſæ dictionis arguta tortura ſcitè laudanda ſine invidia profuſam experti ſumus. Adeô maxima ingenia non ſuæ tantùm, ſed alienæ quoque gloriæ capaciſſima ſunt Quare tam liberalis eloquentiſſimi viri eruditio non longè petito agreſtis laureæ præmio, ſed nativo Stephoniani nominis honore jure coronatâ eſt. Sed quò me improvidus provexit ardor adversùs æquiſſimam noſtrorum Judicum ſententiam? Quid mea intereſt Latinitatis aculeos tueri, ut punctionibus paream, qui ſine ſpinis innocentem Hebraicis in hortis jucundiſſimè decerpo roſam? Quamobrem ignoſcite, ſi qui adeſtis, Judices: atque hac-

tenus defensa, maledictis & convitijs insectantem jejuni vitia sermonis libentiùs audite. O mendicitatem tam odiosam, quàm voluntariam, quæ ditissimo in emporio Eloquentiæ verborum inopia laborat! O ridendam in senibus infantiam, quæ sub diuturna nutrice facundia nondum expeditè didicit effari! O inauditam avaritiam, quæ Laconica sibi brevitate fauces præcludit, ut parcè äërem in verba profundat! O vesparum aculeis aculeatæ dictionis spicula molestiora, quæ non aures modò, sed animos etiam adeo pungunt & fodicant, ut auditorum vulnerata atque exulcerata capita in tubera intumescant! O incommodè præacutas sensiculorum festucas, ad unum illud aptas, ut obvios delicati lectoris oculos vel configant, vel effodiant! O barbaræ crudelitatis facinus inexpiabile, quæ svavitate coloris, ac membrorum apta compositione pulcherrimam humani generis patronam, eloquentiam delumbat, atque in minutissima frusta concidit! Quamnam autem vobis, perniciosi acuminis amantes oratores, dignam exedram imprecer, præter densissimum spinetum, unde accutissimè peroretis? Satisne dixi? Satisne patefeci Latini fori, super nomine

mine ac verbo tumultuosê digladiantis, turbulentã & miserã conditionẽ? O felicitatem Hebraicæ synagogæ, in qua pacata sunt omnia: cui nomen fecit non tam hominum conventus, quàm consensus animorum! O vos beatissimos, qui forensem & contentiosam Latinorum lingvam cælesti divinoque Hebræorum sermoni posthabentes, in exilio terrarum patrio cœlo jam assvescitis, Auditores mei! O me contra cæterarum lingvarum morsus unius Hebraicæ lingvæ præsidio munitissimum! qui, nisi intelligor, nisi placeo, si barbarus videor in dicendo? justissimam habeo comprobandamque omnibus excusationem, barbariem illam dicere me, quippe qui Hebraicè loquor.

STY-

STYLUS HEBRAICUS
Sive
In hostes brevitatis.

ORATIO XXXIII.

SOlent juniores ac tyrones Latinitatis magistri, magistratu inito, suam de orationis longitudine sententiam longiùs præfari. Ego verò nec juvenis, nec tyro, alieno strepitu ex annuo silentio excitatus ac præmonitus, sine juvenilibus ampullis & sesquipedalibus verbis perbrevem; atque ideo fortasse non injucundam, certè non intempestivam, de stylo Hebraico disputationem instituam. Injuria hic aliquis mihi adolescentior Cato succenseat atque exprobret, quòd hujus authoritate loci levius argumentum perorandum susceperim. Etenim si decet ex hoc loco Hebraicarũ litterarũ prima elemẽta cũ elementarijs senibus sæpe balbutire: cur ex eodem optimam dicendi formam semel eloqui dedeceat? Atquè illud in primis hodie mihi lætandum esse gratulor, quòd, ut multos defendet, ita neminem eminus cominusve stylus hic noster vulnerabit:

rabit: nihil enim Latinæ intereſt æmulationis, utrum Hebraica oratio prolixitatem amet, an brevitatem. Quòd ſi graviſſimæ Philoſophorum nationi decorum eſt preſſæ diſputationis dialecticis pugnis ſonoram & implacabilem pugnam pro veritatis nunquam adhuc compertæ trophæo ampliſſimo atque turpiſſimo quotidie pugnare: quidni liceat homini Muſis humanioribus initiato ex Rhetoricæ palæſtræ inſtituto explicatæ dictionis palma adverſantem repugnantemque amicorum ſententiam ſemel atque amiciſſimè depalmare? Si quem autem nimis tenera cute auditorem innocentiſſima verba confixerint: næ iſte dignus eſt, cujus aures Hebraicæ cotis annuo attritu occalleſcant. Antiquiſſimus, & principe cum homine, ſive cum ipſa humanitate natus, eaque de cauſa univerſæ hominum poſteritati hæreditaria alacritate diſcendus Hebræorum ſermo, ſeipſo deinde nobilior à pulcherrima origine tranſcendit ad inacceſſam Divinitatem: nam DEI cum loquentis voce, tum infantis imitatione diviniſſimus eſt. Ergo quemadmodum, quod cœlum ac terras implet, divinum Verbum ad puerilis corporis breviſſimam periodum ſeſe contraxit; ut ad hominum captum eloquens

amoris immensitatem sui amabili compendio doceret: sic Hebraicus sermo, divinæ specimen eloquentiæ, sententiis, quàm verbis, fœcundior, præstabilius esse monet paucis multa complecti, quàm multis pauca, seu potiùs nihil, præter unam, severis auribus absonam atque absurdam, Asiaticam loquacitatem. I nunc, & longissimæ orationis cantilenam ad tædi um ac somnum usque auditorum produc superba mortalium garrulitas: cum DEUS hominem sonans adeo brevitatem adamarit, ut etiam ad arguendos verbosissimos homunciones sapientissimum Verbum infantiam induerit. At qui suis capta membris, & Judæo similis videatur, circumcisa & brevis oratio. Væ mihi, væ vobis, æquales mei, qui, quòd gigantæa statura non sumus, capti membris & mutili sumus. Misereor me tui, 'Magne Alexander, quòd furti reus manifestò teneris, quippe qui Magni cognomentum usurpaveris, Rhodio Colosso eorùm judicio debitum, qui rerum magnitudinem mole, non virtute, metiuntur. Quare, ut par pœna palmare scelus consequatur, ab isto, quo totam Asiam levissimè obiisti, (a) corpusculo, Alexander Pusillus in posterum appellaberis.

(a) Q. Curt: l. 6.

beris. Equidem non video, cur non possit à me de habitu orationis verissimè prædicari, quod à nobilissimo poeta decantatum est, *Majorem in exiguo corpore (a) regnare virtutem.* Cui Livius, cui Virgilius concionabundi, quò breviores, eo vehementiores, duo fulmina eloquentiæ, ad inflammandos ac tanquam de cœlo tangendos animos, efficacis impetu brevitatis contorta non videantur? Et Virgilium qui Tullio præferat, quod hic una præstet facunda copia, omnia ille multiformis eloquentiæ genera complectatur. Mihi verò ea præterea laude idem videtur excellere Virgilius, ut paucis hic peroret, quæ pluribus Tullius. Quid Crispus Salustius, Romanos inter non historicos modò, sed oratores etiam clarissimus? Nonne Ciceroni veriùs frugalitate dictionis, quàm licentia vitæ adversatur? Nemo: ut opinor, ista non verè, sed veteratoris dici criminetur, nisi is, cui frugalitas odiosa sit. Sentio me ab ijs, qui se cognatione facundiæ M. Tullij Quintos fratres, vel Cicerones filios, vel etiam Tulliolas existimant, in judicium vocari, atque alterum ob Tullianam eloquentiam mutilatam obtruncatamque

(a) *Stat: Theb: L. 1.*

catamque M. Antonium appellari. Unum hic enimvero tuum, M. Tulli, cuius hostis falsò insimulor, eloquentissimum innocentiæ meæ patrocinium imploro. Bene est: meam causam suscipit, atque adversùs obtrectatores patronus optimus sic defendit: (a) *Cum sit, inquit, oratio mollis, & tenera, & ita flexibilis, ut sequatur quocunque torqueas: & naturæ variæ, & voluntates multùm inter se distantia effecerunt genera dicendi. Flumen alijs verborum volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios & interpuncta, intervalla, moræ, respirationesque delectant. Quid potest esse tam diversum? tamen est in utroque aliquid excellens.* Auditis Judices, ipsius Tullij, cum copiosam, tum pressam dictionem eximia laude ornantis, ingenuo me testimonio à læsæ calumnia eloquentiæ absolutum. Audite præterea Tullio subscribentem, & suffragantem, mihi nobilem eloquendi magistrum, (b) Quintilianum. Sic ergo patrocinatur: *Senibus convenit pressum genus, & mite, & limatum, & quale vult intelligi Cicero, cum dicit orationem suam cœpisse canescere.* Vestrum jam est mendacissimos rabulas ad Pythagoræ scholam relegare, ubi

(a) *Orat. ad M. Brutum.* (b) *l. 11. Instit. c. 1.*

ubi sapientis esse discant, diuturno silentio præmeditari, quæ tandem parcè verèque dicantur. Quanquam autem plena succo & sangvine dicendi brevitas præfertur à me prolixæ ac loquaculæ orationi: non eo tamen inficias, profusam eloquentiam quandoque opportunissimam esse, sive cum præscripti spatium temporis patitur, sive cum rude vulgus imperitamque multitudinem alloquimur, cujus pingvissimæ Minervæ sæpe eadem inculcanda sunt, ut semel hæreant. At verò cum apud homines eruditione sapientissimos, authoritate maximos, curis occupatos, negotijs impeditos intra brevissimi temporis angustias dicendum est: quis! quæso, locus sit longissimis recentium Gracchorum orationibus? Senes enim & prudentes viri malunt sibi res dari, quàm verba. Quare satis demirari non possum eorum confidentiam, qui, nulla temporum, nulla personarum habita ratione, tanquam ex tripode pronuntiant, orationes quascunque impendio vocales esse debere: ut præ illis Architæ crepitaculum & Citeria muta sint. Non deest, qui præcones istos officiosissimos, in recitando pro longitudine orationum Senatusconsulto, non tam sibi, quàm rerum novarum cupidis hominibus

morem

morem gessisse suspicetur. Est, cui similius veri videatur, eosdem vocalissimos declamatores ex animi sententia longinquæ locutioni suffragari solitos; propterea quòd callida brevitate persvadere nesciant. Ego vero humaniùs sentio, ab humanissimis prolixæ dictionis patronis & laudatoribus ad longas orationes non viros verborum parcissimos, sed pueros, hoc est, Musarum picas, prudenter incitari: ut indomitam garrulitatem, (a) *studiumque immane loquendi* publicè declamando, quàm privatim garriendo, commodiùs defatigent. Sin autem fallor, atque idem à viris, quod à pueris, dicendi genus recentes logodædali exigunt: quænam est ista humanioribus indigna studiis inhumanitas, in hominum jugula invadere, ut ipsis liberam mancipiis vocem pro suo isti arbitratu exprimant! ut exhaustis jam viribus senes cum diuturnæ orationis anhelatis verbis fugientem animam, extremumque spiritum citiùs exhalare cogant? ut pariter laudabilem in sermone, atque in victu parsimoniam declamatoria impressione jugulent? At ô miserum Phrigem me! qui serò animadverto argumentorum Achillem pro altera ora-

(a) *Ovid. Metam. l. 5.*

oratorum procera Helena, pro longa nimirum oratione, strenua lingva belligerantem. Actum est. Fuimus Troës, Ecce jam horribiles machinas, Equo Trojano vastiores, admovet: ecce illa septem orbis terrarum miracula, enormi magnitudine pertimescenda, pro maximis orationibus in nos Laconum fraterculos conjurato impetu arietant: ecce, miraculorum maximum, Roma imperatrix amplissimo murorum ambitu admirandarum orationum molem metitur ac præcipit: ecce tandem Romanarum Regina cloacarum, Cloaca maxima, sibi pares declamationes anhelans, in pigmæi sermonis artifices minaciter hiat ore rotundo. O lutulentum, imò luteum argumentum, quod adversùm nos Tulliano (a) proverbio Arcem facit ex cloaca; Enimvero timeo, ne tibi, Hebraica brevitas, longissimarum periodorum grallæ induendæ sint: ut sublimis & gravis, ipsisque hostibus, nempe longurionibus, seu longurijs, æqualis incedas. Tu tamen cave, ne, grallatorij gradus fastu facilè vacillante, in Cloacam maximam præcipites, in cujus luto sordibusque grallatorum plerique riduculum fecere naufragium, id est, sese penitùs cloacaverunt.

(a) *Cic: pro Planc:*

ruut. Sed pudet cum iſto Achille non congredi. ne ſemiviro Paride, qui tamen Achillem vicit, timidiores eſſe videamur. Ajo igitur multó præſtare, orationes floreis faſciculis, quàm cloacis maximis, eſſe ſimiles: neque opus eſſe prodigioſæ magnitudinis miraculis ſeptem octavum addere portentum coloſſeæ proceritatis dictionem, quæ, quo diutius obſtrepat, eo magis vel impatienter, vel ſomniculosè audiatur. Illud ad extremum ex divino oraculo ſubiicio, (a) Non defuturum in multo ſermone peccatum, imò affuturam abundè ſtultitiam. Quod ſi brevitatis hoſtibus juſta placet ac tempeſtiva, quam nos æquè commendamus, orationis longitudo: næ menſores iſti lippire mihi & cæcutire videntur, qui mediocritatem auream rebus immenſa mole memorandis comparatunt. Sentio, jam profligato erudito duello, pleroſque veſtrum, Auditores, ſi non voce, at certè animo qui, pluris eſt, ex veteris theatri plauſu: Hoc habet, exclamare. Corruit enim, corruit, gladiatore importunius, Achilleum argumentum, Achillis inſtar pedibus, id eſt, qua parte conſiſtere debuit, invalidum & caducum. Triumpha jam Hebræ-

(a) *Prov: 10. Eccle. 5.*

Hebraicæ breviloquentia, & gloriare, hoc tibi proprium, imo cum DEO in corporis humani angustijs incluso commune decus esse, ut capacissima contractione totius immensitatem sapientiæ complectaris. Quamobrem qui tua tibi decora non invidet, cum sapientissimo præcone Hieronymo prædicet, (a) ipsam involventis Divinitatem voluminis tui paginas tam mysticas, quàm succinctas, & breves pariter & longas esse; breves in sententijs : singulis quoque vocibus totidem oracula enuntiari, seu potiùs in unoquoque verbo, infinita latere mysteria. Tantum igitur inter productum concisumque sermonem, quantum ab humana divina distat eloquentia : utque Divinitate infinitum Verbum, ad Humanitatem contractum, miraculorum omnium ipsa contractione maximum est : sic animæ magnæ plena dicendi brevitas septem illis molibus, vastissimis, quidem, sed ad diuturnitatem admirationis animâ vitaque cassis, ac simul vetustate simul oblivione jam dirutis, vivaci admirabilitate antecellit. Non possum hîc mihi temperare, quin exclamem, O lucos admiratores, qui maxima solùm corpora suspicitis, quòd sola illa dispicitis

(a) *Epist: 103. ad Pauli.*

citis, cum tamen prima oculorum acie longè majora in minimis rebus miracula perſpiciantur. Una de plurimis, ijſque jam pervulgatis in (a) rem noſtram eminet Homeri longiſſima Ilias, in breviſſima membrana, quæ nuce includeretur, ita ſcripta, ut flexanima eloquentiâ fœtæ breviloquentiæ ingenioſum prodigium adumbrâſſe videatur. Sed cur ego imprudens contractam ad nucis nucleum Homericam Iliadem coactæ in paucâ verba eruditionis maximæ unicam & principem imaginem propono? Illa, illa debet à me præferri pulcherrima contractio, quæ Dantis Aligerij profuſam comœdiam humanum vix ungvem ſuperante codice tam feliciter clauſit: ut non vulgaris nucis & capiti & gloriæ noxia umbra; ſed Urſina Roſæ juxta glorioſo, atque nobili complexu protegatur Adeo excellit ac regnat GRATA BREVITAS, ut formoſiſſima florum Regina Roſa ſeſe illi vertat in coronam. At quomodo repentè verſa es in ſpinetũ doloris corona voluptatis? Quomodo immortali vita digniſſimi floris purpuram funebris pallor infecit? Graviſſimam jacturam apertiùs lamentabor. Quomodo, cum maximè virtute gloriaque vernares,

(a) *Plin: l. 7. c. 21. Solin: c. 6.*

nares, defloruisti Romanæ flos amœnitatis, Alexander Cardinalis Ursine? O me infelicem; Tuo ex obitu peracerbo habeo in rem meam appositum quidem, sed miserabile argumentum. Si nimirum ipse potuisti plurima præclarè facere brevissimè vivendo, cur non possimus ipsi multa laudabiliter complecti parcissimè dicendo? Nunc jam desino mirari, quod compendiarijs orationibus meis mirificè delectareris vivus, quibus moriens vitæ compendio suffragaris. Ut brevem esse, Rosam redolere intelligamus. Possem adhuc sexcenta breviter laudatæ brevitatis ornamenta subjicere. Possem tam verè, quàm splendidè affirmare, pretiosas & gemmeas orationes gemellas essè gemmarum: quod utrarumque immensum pretium nitida brevitate continetur, cum cæteri vulgares lapides, longi sermonis ingentes imagines, in scopulos & montes extuberent. Possem quoque istis, qui magna solùm aut immodica, hoc est, Maximini caligas demirantur, exiguam illam ex ferro Norimbergensem muscam, ingenti pridem artificio ad volandum revolandûquê animatã obtrudere: ut, qui humanæ rationi obstinatè repugnant, Muscæ improbitate vincantur Sed finem facio, ne sit oratore longior oratio.

ÆTAS

ÆTAS FLORÆ
Sive
De toto anno cultis floribus vernante.

ORATIO XXXIV.

VOs quoque, communis amor & cura gratiſſima, hortenſes flores, dum totius anni vices perpetuo Vere coronatis, ferrei temporis, deterſa rubigine, novum ſæculum florei nitore nominis coloratis Inter flores nimirum regnare decuit regias Apes Barberinas; quarum mel Urbanitas eſt. Age igitur in hoc florum regno, exornandis debita floribus, audacior effloreſcat. Hoc ingenij felix inventum fuit, ut ferreis moribus ætas decolor florum cultu refloreſceret. Horum ergo de populo pulcherrimo agreſtes colonias urbanos in hortos hoſpitalis deduxit urbanitas: decuit enim beneficos floridi ſæculi conditores civitate donari. Quæ jam eloquentia coloribus exprimat eruditis artificio multiplici elaboratam hortorum pulchritudinem

dinem, ipsis idcirco, quibus parata est, æmulam floribus; ut pulchri hospites pulchrè habitent? Quænam oratio callida eloquenti filo percurrat, areolarum Dædalea claustra, adeo flexuosis anfractibus implicata; ut fugacissimæ florum formositati labyrinthum & moram faciant? Neque verò concedit hortorum amœnitati nobilitas colonorum. Fuit illud tempus, cùm vix è primarijs viris unus Persarum Rex, isque prudentissimus Cyrus, regias inter curas hortuli cultum reponens, florentissimo, inter flores manu sua satos, imperio Lacedæmonium apud Legatum gloriatus est. Atqui hæc Ætas florea quàm multos profert ex omni nobilitatis flore felicissimos Cyros, qui præstantium florum odorata regna, veteribus floridiora, moderantes veteris illam Cyri laudem laudabiliùs usurpant, *Hi manu nostra sunt sati.* O manus urbium felicitati pares, quarum felici contactu non modò terra, sed ipsa etiam felicitas urbana florescit! Hic enimverò mirari non habeo, quare orbis terrarum imperatrix cæteris magis urbibus florum cultu floreat Roma: cum, subacto cultoque Imperatorijs manibus solo, floridum sibi sternere ad gloriam iter, vel â Cincinatorum usque Dictatorum antiquitate Romanum sit. Exito

jam

jam ad vitæ gloriæque lucem terræ quidem filij, ſed altricis nobilitatis adoptivi: ipſum publicæ lucis decus, quandoquidem flammæ cum Græco nomine tum nitida ſpecie fulgetis; veſtro fulgore provocate: cum Sole ipſo, clariora cæleſtibus, terrena ſidera interdiu micate, ac diem geminate: in hortenſibus theatris, èxternæ formoſitatis victores, vobiſcum ipſi formoſiſſimi fratres domeſtico certamine de forma dimicate: diſcolores inter hortorum ſcenas ſimul florentis, ſimul defloreſcentis mortalis pulchritudinis utilem fabulam date: exemplo meliùs veſtro, quàm alieno carmine, illud monere, *nimiùm ne crede colori;* (a) vernis veſtris coloribus perpetui Veris novam felicitatem expingite. Bene eſt. Audiſtis blandam vocis illecebram, adhuc magnæ matris abſtruſi viſceribus, floriduli populi. Ecce jam voci votoque reſponſuri, materni ſinus gravem præmaturo egreſſu moram rumpitis. Jam virides inter foliorum faſciolas inſolitam ad lucem conniventia capitula ſuſtollitis. Jam vitam quam nos ærumnoſam nobis natalitijs lacrymis præſagimus, lætiſſimam vos diducto decenter ore à riſu inchoatis; & hiante ſemper

(a) *Virgili eclog*: 2.

ſemper labello renidentes, dum vivitis, ridetis. O vos beatos, quorum vita riſus eſt! O riſum efficacem, quo totus annus exhilaratur! Prima (quis credat?) florum riſu anni ſenectus juveneſcit: prima vernat hyems. Tua, Hiacynthe, præcox pulchritudo ver hybernum repræſentat, ſive frigore decolor niveo vultu circumfuſas provoces nives, ſive cœlo concolor cœleſtem ſvavitatem redoleas. Tibi verô, flos fabularum, formoſiſſime Narciſſe, hyberuum frigus meritô amicum & conſentaneum eſt; tua ipſe quod forma perniciosè calueris. O quàm appoſitè nunc aureo, nunc argenteo, nunc utroque pallore tabeſcis ac degeneras in florem! tantus enim decor pulchrê debuit pretioſêque palleſcere. Sed quis inter ventoſa hortorum hyberna flos lætior hyemet, quâm quæ non ſine vento aperitur, quæque ventum nomine ſpirat, Anemone? Conſpirate jam conjuratæ aurarũ animæ: veſtrum animoſos impetus omnium unus hic floſculus toto hiatu ridet, imô veſtro ſpiritu animatur. Et ſanè vento gaudere decuit, quem vulnerati Adonidis vaniſſima fabula cruentavit. Suam iſtam flos ipſe lugubrem fabulam, cum maximè patet, effuſiſſimê ridet. Nec uno ille, ut flo-

rem

rum plerique, ſed vario colore veſtitur: nam varia veſte abundare florentiſſimi Principis eſt. Nuſquam tamen elegantiũs, quâm in tuis, Federice Corneli, elegantiſſimis hortis coloratur: ubi lectiſſimi flores tuis è moribus, qui florum Princeps, ac flos Principum es, colorem trahunt. Vidi ego inter ea Tempe, quæ tu Romæ Theſſalicis amœniora condidiſti, Romano cultu venuſtiſſimam Anemonen, cujus candidam foliorum prætextam ita purpureus limbus obibat; ut morum candori tuorum purpuram promittere videretur. At vos ne ultrà in fragile floris decus conſpirate ventoſi ſpiritus. Heu me, ventos rogo! En eadem (ô rerum vices!) quæ modò decorum florem animabat aura, tragico ludibrio difflatum exanimat. I nunc, atque auræ confide fallaci. Sed jam Ver floridum vernos flores per Zephyrum præconem evocat. Res mira! Inſuſurratum præconis ventuli murmurillum ubique audiunt & adſunt florum populi diſcolores; atque hoſpitas lucis oras grati advenæ ſalutaturi, oſculo ſvaviter hiulco odoratam animam inhalant. O halitum ægræ mortalitati vitalem! O curarum æſtus blandè difflantem auram ingenuæ voluptatis. Quem

non

non demulceat in luncifolio Narcisso par aurei pretio coloris odoris pretiosa svavitas? sive hic simplici foliorum bractea avarè, sive pleni rutilâ floris pompâ liberaliter aurescat. Cui verò argenteus ille Narcissus, qui productiore collo Camelum in flore ludit, exporrecto vitam osculo propiùs non inspiret? Cui non Hyblam, non Hymettum oleat cum Moschatus, tum odoratissimus Hyacinthus, quorum vel ipsum nomen odoratum est? Quid? obscuro natum ac traductum loco Lilium convallium nonne svavissimo illud afflatu verè insinuat, ex obscuritate patriæ eum sæpe virtutis candorem existere, qui clarissimas ornet civitates? Quid? nonne lactea Cyclaminus lactescentis in florum puerperio Naturæ concretum in florem lac videatur? Mihi vero vos, versicolores, atque ab ipsis maculis & nævis formosæ Tulipæ, dum coloribus floretis omnibus, flos omnis estis. Sed quid ego Veris flores enumero, enumerare qui possint innumerabiles ac singulares, tuos, Tranquille Romaule, florentissimos adeat hortos, qui proximo Vespasiani Amphitheatro feliciores inusitato antiquitus miraculo assidui Veris theatrum sunt: Ubi ludus non sæva hominum mors, sed

amabilis florum vita eſt: ubi curioſos oculos non morientium gladiatorum plaga funeſtê, ſed naſcentium roſarum purpura jucundè cruentat. O roſæ, pulchra Veris morientis vulnera! quandoquidem veſtrarum inter ſpinarum mucrones nitidê cruentum emoritur Ver. Emoritur quidem Ver in roſa; ſed renaſcitur in Cariophyllo, qui, quòd coloribus vernat omnibus, quòd nullis concedit odoribus, Veri, quotannis æſtivos per æſtus renaſcenti pulchrius Phœnice, digna ſubſternit incunabula. Sed cujus præterea floris odore peregrino Æſtatis calor noſtros hortos vaporat. Salve Gelſimine, florum flos. O quàm gratus hoſpes flagellorum manibus adrepens toto jam terrarum orbe peregrinaris! O quàm lepidum, quàm ſalubrem è tua patria nobis odoris Africum ſpiras! Et veró par erat fervidæ matris odoratum eſſe filium: quo enim alio materni amoris fervor, quàm odorato ſpiritu filium animaret? Sed illud non planè intelligo, qui fiat, ut parens Æthiopum nigerrima candidos pariat flores. An propterea, quód parentis illi non vultu, ſed lacte colorantur? An quia ſic è nigra nocte candida lux naſcitur? Exiſte nunc tandem, exiſte Mexicanis

nis è viretis oriunda, quæ Nazareni floris, inter ſpinas morientis, florida imago es, Granadilla. Florere te decet per æſtum, quia flos Amoris es. Nulla verò tibi terra fertiliùs æſtuat, quàm Roma, cuius in nomine ardet Amor. Mitto jam ſingulos flores: omnes ut verbo complectar, breviſſimè ajo, florum Æſtate, quàm frugum, meſſem demeti non minorem. Et quiſquam dubitabit, ſi torrida refloreſcit Æſtas in Ver, Autumnum quoque floriferam ob temperiem ſuas inter vernare vindemias? non enim poteſt florulentis delicijs genialis Autumni carere lætitia. Unus reticeri ſe non patitur, autumnales deliciæ, Crocus, qui tam eleganter ſexcentas colorum formas induit, ut verſicolor inter flores Proteus dici poſſe videatur. Et hactenus quidem orationi licuerit noſtræ cum floribus efloreſcere, floreique ſæculi Ver aſſiduum, ærumnoſæ recens mortalitati ſolatium, gratulari. Ite nunc veriſſimæ vocis meæ teſtes, ite acerrimi ſpeculatores, mortalium oculi, veſtram tum ubiquè, tum Romæ, feliciſſima in urbe, florentem legite felicitatem; inter fugaciſſimas anni quadripartiti vices conſtantiſſimi Veris ſuſpicite amœnitatem; ſive ubi fluviorum Rex Tiberis

Farnesia Lilia, è regiis utriusque ripæ hortis conspicua, famularibus aquis irrigat, ac dominatricem semper educat in coronam: sive ubi Medicea Flora, suam ubique Florentiam spirans, Romam urbium florentissimam exornat; sive ubi Burghesius Draco ad aureos Hesperidum hortos, quos novus Africæ victor, major veteri Scipio Mauritaniis longè nitidores Romano splendore fundavit, verè ipse aureus invitat, non arcet; quia Domini mores habet: sive ubi Ludovisiæ virtutis insignis flos, & purpurea & aurea felicitas micat: sive ubi Cæsarina domus, gemello Vere beatissima, eximiis vernat & floribus & fratribus: sive ubi Càetanæ ditionis oppida suburbana urbanissimo sub Principe floream Urbi non invident voluptatem: sive etiam ubi cum Perettæ, tum Matthæiæ villæ opulentia lucet aurea in ædificiis, & smaragdina in viretis. Ceterùm per amœnissimæ urbis delicias peregrinabunda oculorum curiositas cur adhuc mirari cessas hortensia miracula, quæ non magis Quirinalis collis, quàm domestica inter sidera præcelsum Aldobrandinæ magnificentiæ fastigium extollit? Tanti est ad hortorum amœnitatem benefica domi sidera continere.

Atqu

Atque ut infinitos omittam alios Romanæ nobilitatis hortos; vestros hic præterire nequaquam possum, Exquilinæ Triumviri amœnitatis, Dominice Fedine, Pompei Pasqualine, atque alter Pompei de Angelis. In exquilijs enim Divini Floris Mater Virgo maxima pluvijs olim nivibus, fœcundæ virginitatis argumentis, non ædem sibi modo pulcherrimam produxit in lucem, verùm etiam vobis, Virginalis ædis cultores assiduì, elegantissimos flores, gratum obsequij fructum, Filijque virtutisque suæ decoras imagines procreat educatque. Meus mihi interim hortulus, cupienti pauca, obscurioribus flosculis Ætatem Floream lepidè colorabit. Una tamen hortuli mei pulcherrima hospita, rosarum Regina omnium Sinensis rosa, quæ nuper ad me, Senensem cultorem, cognominis patriæ fœdere è toto divisis orbe regionibus officiosè divertit hortorum laudibus cæterorum. Videas primùm tereti, crebrisque oculis distincto, ac subalbida caudice nullis armatam spinis, innocenter clementerque arborescere: ut, quam nusquam adhuc inveneris, inermem nudamque ab omni doloris aculeo, floridam voluptatem ipsa promittat. Videas deinde

as deinde frondibus forma pampineas, ſcabritie ficulneas, magnitudine utraſque imitantibus conveſtitam, è ſmaragdino dehiſcentis calycis conclavi, multiplici foliorum ſyrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipſius formoſa diſcrimina ſic æmulantem; ut primò quidem candidam, deinde ex candida rubentem, poſtremò ſaturo colore purpuream, hoc eſt, ſimul aliam, ſimul eandem admireris: & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad florem Reginam, quæ, tanquam Sol alter, variæ fuco lucis coloret dies, colorum principes viciſſim accedere tributarios. Hujus mihi hortuli delicias innocentes nemo Catonum exprobret: ſiquidem in horto voluptatis nos, flores inter divina jam pridem Sapientia conditi, floribus naſcimur; primique Parentis integritas felix, totius magiſtra poſteritatis, eodem in horto laudabiliter ruſticata eſt. Quid jam ſupereſt, niſi diuturnæ ut hortorum incolumitati ſupplici voto conſulamus? Tu ergo pluribus oculate, quâm Argus, luminibus, terrarum cuſtos atque excubitor, cœlum; ſi floribus cum ſideribus conſpicui nitoris affinitas eſt; dum langvidis ac veluti

ſopitis

ſopitis per noctem capitibus ſecuri connivent illi, tuti etiam ut ſint, in clandeſtinos raptores inconnivens tuis excuba ſtellis : nocturnis eos larvis abſterre : minare fulgure : tonitru increpa : imbre, grandine, fulmine procul extermina. Tuque floridæ pater-familiæ, placidiſſime Zephyre; tuæ ſi te pulcherrimæ prolis ſumma tangunt pericula : placidum tantiſper ingenium exue : juſtus in fures ultor irrumpe : ne patiare hortorum ſepta latronum inſidijs patere, ac purpureum florum pudorem prædam eſſe prædonum : cum fratrum ſpiritu conſpirante furax hominum genus, à floribus longè diſſlatum, in ſpineta compelle. Par eſt enim aduncas ad furtum manus non floribus hærere, ſed ſpinis.

ROSA

ROSA SEPULCHRALIS
Sive
In funere Alexandri Card: Urſini.

ORATIO XXXV.

O Breve Roſarum ver! O mortalitatis juvenili vere deflorеſcentis lugubre exemplum! O Urſinæ amœnitatis principem florem, è vitæ gloriæque fertili viridario flebiliter tranſlatum ad ſterile ſepulchretũ O nimis copiosè ſuccreſcentes ad unius Roſæ casũ, ſpinas doloris innumerabiles! O viduam Romã, roſeæ purpuræ amiſſum gaudium in atratæ violæ ſqualore deplorantem! O nos, Socij, nobiliſſimo cum flore ſvaviſſimæ virtutis fructu fraudatos. Atque ego quidem cum Roſæ nuper floreantiſſimæ qualemcunque dictionis meæ cultricem auram non ſemel dicaverim, debeo nunc extremum defloratæ cultum irrigantium lacrymarum. Quis ſcit, an excuſſi floris aridum decus officioſa irrigatione refloreſcat? Ubi nunc ille vetu-

vetustissimæ nobilitatis flos, Alexander, qui Regum non modò nomine, sed etiam merito inscriptus, regio Rosæ, colore, cum veste, tum sangvine illustrissimus, purpuravit? illa ergo nobilitas, quæ supra mille ac sexcentos annos in clarissimo (a) viro Vipio Ursino, equestri loco nato, se floruisse gloriatur: quæ deinde per longam Heroum posteritatem, atque (ut paucos numerem ex infinitis) per quatuor Pontifices maximós, per Purpuratos Patres quatuor ac triginta, per duos & sexaginta Romæ Senatores, per ejusdem principis Urbis Præfectos quatuor, per Ecclesiæ Romanæ vexilliferos sex, per centum bellicos Imperatores, per Consules, per utriusque Siciliæ Magnos Comites stabiles, per Oratores, Legatos, Moderatores Provinciarum, Satrapas, Proreges, aurei velleris, Sancti Michäëlis, Sanctique Spiritûs Equites; per magnos Rhodiorum, Templariorumque ac Teutonicorum Equitum Magistros: per Principes Tarentinos, per Duces, Marchiones, Comites, Imperij Electores, Antistites ipso numero plures, per connubiorum communione contractas affinitates cum Magnis Ducibus, cum Hispaniæ,

(a) *Ex inscriptione veteri urnæ marmoreæ apud Brachiani Ducem Ursinum.*

ſpaniæ, Galliæ, Angliæ Regibus, atque cum ipſis Imperatoribus, per ſanctiſſimos viros plurimos, præſertim verò geminos Urſinos, alterum Apoſtolorum auditorem, Gregorij Magni Pontificis encomio celebrem alterum; per Voluſianum Præſulem Turonenſem, eundemque Martyrem; per Monaſticæ familiæ in Occidente conditorem Benedictum propagata: quæque per generoſos traduces in Hiſpaniam, Angliam, Galliam Germaniam, Poloniamque diffuſa, & ad potentiſſimos dominatus traducta: quæ demum ab uno laudum omnium capaciſſimo, magni nominis, majoris indolis Alexandro mirificè amplificata eſt; quantam, quæſo, fecit cum eodem moriente jacturam? Ubi flos ingeniorum, qui certatim naturæ artiſque viribus excultus, & lætior & mirabilior vernabat in dies, maturabatque immortalitate dignum de Regno librum, fructum videlicet ipſius regali purpuræ concolorem? Quomodo promeritus eſt, ut lethali perpetuoque ſilentio ante diem obmuteſceret, qui doctiſſimo in volumine difficilem illam facilè aſſecutus eſt gloriam, ut roſas loqueretur: cum magis indole ac facundia, quàm domeſtico inſigni & merita purpura roſeus eſſet?

Certabat

Certabat enim in illo cum ſvavitate morum ingenij elegantia, cum Latinis, tum Italicis numeris abſolutiſſima, ut geminam utriuſque lingvæ lauream promerita videri potuerit; niſi una inſtar omnium ipſa ſibi corona eſſet Roſa. Accedebat omnia hiſtoriæ decora quamvis anguſto ſinu complexa memoriæ amplitudo, in Alexandro minimê mirabilis: quia breviſſimi ambitus Roſa flos omnis eſt. Ubi, ubi flos virtutis incorruptæ? Quomodo moriens expalluit, quem fortioris morte charitatis calor coloravit? Enimvero jucundus eſt fugacis vitæ monitor, præmoriens flos. Svaviter olet memoria mortis, quæ Roſam olet. Et quanquam miſera eſt boni recordatio, quod recuperari non poteſt: tamen iſta nos, ut in malis, miſeria delectat; quia tuo ſaltem, prærepte Princeps, nomine non caret. Adeô nec tecum, nec ſine te vivere valemus. Igitur, qui tuo nuper funere exanimabamur, funebri laudatione reviviſcimus: dum tu præproperê exanimatus noſtro in tuas laudes profuſo ſpiritu, ut gloriæ vivas, animaris. Pridie ejus diei, quo Virginis maximæ, cœlo regerminantis è ſepulchro, per ſextiles calores memoria floret, Alexandri Cardinalis Urſini ſemper florida pietas,

tas, flagris eductio (quod singulis Virginalibus pervigilijs consveverat) sangvine irrigata, solito pulchrior irrubuit, Triumphali enim pompa in cœlum assumptæ Virginum Imperatrici, quæ (a) *sicut lilium inter spinas* assurgebat, quid Ursinæ religioni congruentius, quàm Rosam substernere? eam verò quod minium illustrius, quàm juxtà pius, atque nobilis cruor coloraret? Quanquam nihil erat, quòd sangvinolenta flagella Rosam expingerent, quæ divinas inter spinas jam formosissima rubescebat. Audi viva mortalitas, audi victura posteritas novum florem elaborantis admirabile inventum charitatis. Æneam Amoris sui, Cruci affixi, effigiem ut altiùs & humaniùs infigeret cordi, assiduè de collo suspensam, nudoque pectori extantibus clavorum cuspidibus hærentem, manu sæpius admota non sine vulnere apprimebat. Decora scilicet inter Amoris aculeos Rosa cor est. Neque cor, Amoris Rosam, ros gratior, quàm corde ab ipso stillatus cruor exornet. Ita pridem mortuus Amor inter spinas appositè tumulabatur in Rosa. Et verò debuit suos per clavos sagittarius Amor cordi propiùs admoveri; ut divinas idem sagittas ad opta-

(a) *Cant: 2.*

ad optatiſſimum ſcopum facilè collinearet. Quis jam miretur, in exſtincto corde nè guttam quidem ſangvinis fuiſſe inuentam, quem, tam propinquus Amor totum vel hauſerat, vel areſecerat? Quid ultrà quæris ardentiſſimæ febris cauſam ſolicita conſultatio Medicorum? Ignem Alexander gerebat in ſinu, & ardorem non haberet in venis? Ardor hic ideo mortiferum frigus peperit, quia vehemens ad immortalem vitam migrandi cupiditas fuit. Inde vox illa omnibus famæ lingvis prædicanda, omnium acclamatione gentium excipienda, ſi mortis & vitæ daretur optio; mortem ſe præoptaturum, ut citiùs Deo, vera videlicet vitâ, frueretur. Inde illa, ingraveſcente morbo, vitam divino Numini devoventis liberalis alacritas, ut funus in fœnus verteretur immortalitatis: Neque verò degeneravit à vividæ Roſæ laude moribundi pia demiſſio, cum panem Cœlitum prægustavit, ê lecto prolapſus ad terram. Sic roſa, cum ſolo inhæret, utiliùs excipit Solem. Cui jam exſpirantis Roſæ animam non olet morientis Urſini Principis ſpiritus extremus, in voces ſvaviſſimas effuſus; ſive dum ſui compos fratrem natu gloriaque maximum ſuæ virtutis opima hæreditate cu-

te cumulavit: ſive cum vi morbi impos animi nihil non pium loquebatur; ut pietas illi pro animo eſſe videretur. Sed ecce tandem frigida mortis manu Roſa præcerpitur & expalleſcit: in occaſu tamen floret, dum purpura tranſit in candorem. Ipſum ſcilicet Roſæ cadaver decorum eſt. At ô ſpectaculum lamentabile! Sepulchralis humus nimiûm gravis, immani ſuper impoſito ſaxo, florem molliſſimum obruit- atque etiam in funere jucundiſſimum eripit. Sed eripi non poteſt longè lateque diffuſus odor, & florens memoria virtutis immortalis. Juvat meminiſſe temporis illius, cum vidi ego te adoleſcentem Senis, eo nomine feliciſſima in urbe, quòd adolenſcentiæ tuæ ſenilis ſapientiæ canitiem præfeſtinavit; cum vidi te, in quam, primo ætatis vere, in vitiorum tribulos & ſpinas pleriſque luxuriante, in pudoris integerrimi Roſam raro miraculo ſplendeſcere. Ut roſeus ille vernantis virtutis color purpureæ gloriæ meſſem uberrimam, in Vaticano ſolo colligendam jam tum promittere videretur. Non tamen caruit virtus florida ſpinis optimis, quarum vallo tutior, & pulchrior purpuraret: ſiquidem inter aculeos & philoſophantis animi eruditos &

tos, & discruciantis se corporis pios amabiliter horrida interlucebat. Tum verò cruento piè purpurea cruciatu maximè interluxit, cum paucos ante annos deprehensus est tortilis funiculus, perpetua nodorum serie asperrimus, nudos renes tam arctè constringere, ut, dum corpus intercideret, animum Deo necteret: objicique veteri proverbio posset, in scirpo integritatis nodos inveniri. Mirari jam desino, diuturnis Alexandrum precibus, ut in Societatem JESU cooptaretur, efflagitasse. Ubi enim decentiùs lectissima Rosa, quàm inter Jesu spinas, habitaret? aut quo feliciùs colore, quàm saluberrimo ejusdem cruore, tingeretur? Sed præstantissimum florem Vaticana purpura ambitiosè ornavit, ut in illo ruberet illustrior. Et ea quidem colorem duxit ac decorem è singularium flore virtutum; cum purpuratus Alexander magnis muneribus, quibus defungebatur, par, seu potiùs major eminebat: cum Religiosorum ordinum duorum Pontificio divinoque consilio Patronus institutus ostendit, ampliorem esse amplitudine patrocinij complexum charitatis: cum liberalissimus Æmiliæ Legatos vectigalis sui aureo dispendio chariorem auro nobilissimæ Provinciæ benevolentiam

volentiam ſibi faciebat honeſto fœnore vectigalem: cum diutius fortaſſe, quàm Urſina benignitas vellet, retardatos quà reorum in carcere, quà ruſticanorum hominum in aula faciles ad ſe aditus; ne quid utrique vel impendij diuturnitate, vel queſtus jactura detrimenti paterentur; erogata de ſuo pecunia compenſabat. Adeò in ipſa ſuſpicione cunctationis humaniſſimi Principis beneficio properabant. Jam verò quis excelſam in Deum pietatem humili oratione conſequatur? Quotidie cœlum piè invadens, Numen divinum ad aras in Amoris ſacrificium devocabat, ac purè operatus Cœlitus menſis accumbebat in terris. Si quando autem in idem cœli ſalntare ferculum incideret, vel uſque ad viliſſima tuguria comitabatur: & quamvis ardente die, aperto capite venerabundus candidum Solem ſuum, proſequebatur. Ut videri tum poſſet mutata eſſe quam laudamus, in Heliotropium Roſa. Neque verò unum Solis ſui candorem, ſed ruborem quoque adamavit. Quare, ne qua præteriret hora, quin ſalubriter, ſangvinolentum ipſius occaſum grata recordatione recoleret, pro mortalium vita mortuo Deo preces horarias eo, quo conſcripſerat, eximio pietatis ſenſu quotidie repetebat.

tebat. Earum verò precum pondus ac vim tanti fecit Roberti Cardinalis Bellarmini ingenua eruditio; ut suis, quas eadem super re composuerat, rescissis Ursinas prætulerit, ac posteritatis religioni usurpandas commendarit. Eò prӕterea pietatis processit Alexander, ut cruenta ejusdem Solis occidentis vestigia, quibus corpore sæpe, animo semper insisteret; ut suis quæque locis Hierosolymæ impressa sunt; in Brachianensi recessu sacris ædiculis exprimere cogitaret. Sed piè cogitata strenuè perficere non potuit: quia præcipiti occasu ad immortalitatis orientem properavit. Ut igitur properantem fugax persequatur oratio; mitto commemorare Alexandri erga Virginem maximam constantissimum amorem, quem vel supremo spiritu fugiente post eandem Virginem abeuntem in cœlum testatus est: formosior enim Rosa est adjuncta Lilio. Non dico â flagitio sanctissimam, luctuque quàm risu feliciorem Magdalenam tam religiosè fuisse ab ipso cultam; ut ejusdem lustrales lacrymas, vel inquinatissimum animum abluentes, verbis ab ingenioso cultu conceptis, atque per statas dierum singulorum horas recitatis celebraverit: nullo enim rore Rosa splendidiùs gemmare potuit, quàm

puris

puris fœminæ lacrymis impurissima gaudia dolentis. Sileo incontaminati animi longissimè abhorrentem à mortiferi criminis macula nitorem: nam quid Rosæ cum fœditate conveniat? Prætereo alienæ studium salutis efficacissimum: id enim abundè testatur Alexandri consilio perquàm commodo institutum Brachiani sodalitium; ut ipse singulis semel hebdomadis convocatis oppidanis & sacræ concionis eloquentia & piæ verberationis exemplo contra scelerum venena mederetur. Et quisquam dubitet, quin inter flores Rosa medicatissima sit? Relinquo denique in olidis Nosocomijs invisendis juvandisque benignitatem æquè halantem, atque juxta graveolentes plantas rosa vernat odoratior: mansvetudinem atrocissimas inter injurias æquè præstantem, atque innocens rosa noxias eminet inter spinas. Resiste hic admiratione defixa, resiste præceps tn exitum oratio; & (quoad per magnitudinem rei licebit) expone facinus mansvetudinis inauditæ, atque de uno credibilis Alexandro. Fuit, qui, tametsi nulla læsus erat injuria (quem enim Rosa læderet?) tamen; ut non raro hallucinamur, qui ream criminis facimus innocentiam; innocentissimo Principi infensus, paratis insidijs moliretur

moliretur necem: cumque divinitus e-lusum non successisset incæptum, ac suum ipsa facinus mors perhorrescere videretur? morte audacior, missa contumeliosa epistola, quòd Alexandrum non posset, ipsius certè gloriam multiplici convitio laceravit. Animadverto, vos ipsos, audita solùm tanti sceleris atrocitate, in authorem vehementer excanduisse, Auditores. Quid eum fecisse putatis, qui tam turpiter, tam immeritò lacessebatur? An justissimo repentè furore inflammatum vultu minaciter fulgurasse, ore tonuisse, quà fraternis viribus armisque fulminasse? At eminebat extra ultrices perturbationum procellas magnanimi pectoris placida serenitas. Quid ergo? par ingenti periculo dedecus purpuratus Princeps, amplissimus Legatus inultus tulit? Imò verò præclarè ultus est. Audite implacabiles animi, atque condiscite novum ultionis genus, quod humanitas excogitavit. Plenas probrorum litteras ijs oculis legit, quibus leguntur officiosæ: tum cœlum suspiciens: Tandem aliquando oblata est, inquit, optatissima occasio injuriæ condonatæ pacifica hostia tibi litandi, Deus pacis, qui toto sanguine vitaque chariorem tanti fecisti

amicitiam;

amicitiam; ut cum inimicis tuis non aliâ eam ſanxeris victima, niſi te. Sic elocutus furioſam epiſtolam, inimicitiæ chirographum, reſcindit; atque ita in injuriam ipſam reſciſſam, humaniſſimaque ultione mactatam ſacrificat charitati. O ſciſſuram ingenioſam, quæ violatæ vulnera humanitatis aptiſſimè conglutinavit? O chirographum quàm infeliciter minacibus inſcriptum notis, tam feliciter mitibus, planeque roſeis manibus cum veteri, quod adversùs nos erat, chirographo affixum Cruci, ut inter confixi Amoris clavos & ſpinas innocenter laceraretur! ſanè *Magno* majorem Alexandrum! is enim, cum ſeſe unum, exiguum ſcilicet mundum, impotens iræ vincere neſciret, hanc tibi gloriam reliquit, ut victoria tui fortior de Magno, innumerabiles vincendos mundos ſomniante, & vix Aſiæ unius expugnatore, triumphaveris. At tu lamentare jam, præreptis delicijs tuis, lamentare inuſitatam orbitatem Roma: quando non tam unum hominem, quàm omnes ſepelit gentilitij ſoli rapax urna virtutes. Quanquam illud habes non leve in ſumma calamitate ſolatium, ut chariſſimi Principis optima pars, cor videlicet, in Romani ſepulchri ſinu foveâtur.

veatur. Illo aucta corde, omnium domicilio virtutum maximè cordata es ad ſanctitatem. Ex illo corde, quamvis exſtincto, ſpiritus vitales ducis ad gloriæ immortalitatem. O nos præſertim, Sodales, in funebri luctu beatos, quos tranſmiſſi cordis amabilis hæreditas locupletavit! O verè noſtrum Alexandrum, quem vel mors ipſa nobis cordis munere arctiſſimè conjunxit! O cor eodem, quo Robertus Cardinalis Bellarminus, & ſapientia & probitate illuſtriſſimus, clauditur, ſepulchro appoſitè concluſum, cum ritè tumulo conſocientur in terris, qui ſimul, ut ſpes eſt, iu cœlo vivunt. Ad hunc tumulum cupidè accede hoſpes Urbis, Orbis terrarum, ut laudum omnium odore ſvaviſſimo recreeris. Svavitas enim afflatur è ſepulchro, in quo Roſa tumulatur.

LAU-

LAUREA CUPRESSINA
Sive
In funere Bernardini Stephonij.

ORATIO XXXVI.

ERgo coronarium Stephonij nomen eruditiſſimo capiti, pro laurea, funeſtæ cupreſſus omen fuit? Ergo Romanum, ſingulari par eloquentiæ, theatrum, externum ſepulchrum eſt? Debiti ergo canoræ gloriæ plauſus parentales lacrymæ ſunt? Agite lacrymæ tantiſper in voces abite, dum vitæ fabulam ſuæ non eleganter claudenti, quâm tragicos Regum exitus canenti, elegantiſſimo Pöetæ ſuprema gratulatione plaudatis. Age lacrymis eloquentior, quam vocibus, dolor, quamvis inconditus, vocalis tamen erumpe: extincta enim eloquentia, inconditam decet loquentiam ululare. Abiſti ex hac mortalitatis palæſtre ſine laurea canore victor: ſed ipſa tibi cupreſſus in lauream abijt, hoc eſt, digniſſimam corona vitam mors honeſtiſſi-

nestissima coronavit. Ante immortalem laudabiliter obitæ mortis coronam diu decumbens affixusque lectulo cum gravissimo acutissimoque morbo generosè colluctatus es; jacentibus enim prostratisque corporis viribus, animi vis ac virtus, ab ipsa constantior èrectiorque ruina, mole sua sic stabat; ut in lectulo illo, tanquam in scena virtutis, videreris Antæi fabulam seriò dare Stephoni, qui cum gravissimè decumberes, tum fortissimè assurgeres. Mirari jam desino, quòd tragica funera splendidè scripseris, qui mala suprema intrepidè toleraris: istam enim in morbo robustam, vivacem non adumbrarent alij, quàm Reges Heroésque morituri. Heroicam hanc laudum coronidem tuarum prædivinavit divina pòësis tua, quando erudito primùm partu theatralem in lucem edidit, fertilem cœli terrarumque theatro, heroum parentem, Tiburtem heroinam, Sympherusam: ut, quoniam unum coronæ sidus impar videbatur, numerosâ, fratres cum matre, sidera Pòëtam suum, illustri occasu prævia, coronarent. Cum corona triumphum mors fortissima merebatur. Hinc tuus ille Crispus, tuo non minùs carmine, quàm suo robore, triumphalis: æquè pro pudicitia in pace bel-

ce bellicosus, ac pro patria in bello pacis assertor, dum purpuratus candidæ virtutis miles, dato fortiter sangvine, inter theatri lacrymas triumphat, pulchrè suo proludit Pôëtæ, cujus in ultimo vitæ actu vultus, veteranæ virtutis colore suffusus, non morientis, sed triumphantis fuit: mors ènim honesta im mortalitatis triumphus est. Quid à triumpho supersit, præter imperium? Et hoc tibi animosè morituro tua Flavia Melpomene pridem immortale præcinuit: cum Cæsareos hæredes terrarum imperio maiores, hoc est, magnæ indolis tuæ imagines, tanquam cœli Cæsares, generoso exitu præmisit in cœlum. Sequutus es regios præcursores (ut spes est) cœli regno dignissimus, quôd ipse tui Rex animi divinè regnaveris in terris. Potentem te Regem una instar omnium testatur illa tuarum Regina laudum, humanæ gratiæ gloriæque despicientia. Nam qui fieri poterat; quando, quod vulgo fertur, non capit regnum duos; ut sapientissimi Regia pectoris, quam totam imperatrix virtus occuparet, servilis ingenij collegam admitteret ambitionem? Testor extremas morientis preces, quibus impensè flagitabas, ut nati ad immortalitatem partes

ingenij

ingenij tui, parentalibus exſtincti flammis, tecum funerarentur. O vocem ad ultimum uſque ſpiritum ſibi imperantis animi planè imperatoriam! O votum jure Maroniano ſimillimum? ut, qui magno geminus Maroni, dum caderet, ſplendore carminis præfulſerat; par eidem, dum caderet, illuſtri flammarum voto, ſuo carmini non minus lucis afflaret. Pepercere tamen divinis utriuſque monumentis invocata incendia: ne cum Virgiliana Æneide Trojana iterum potentia, cum Stephoniana vero eloquentia Romana primùm gloria conflagraret. Quanquã non erat, cur tuæ flammas eloquentiæ, precarerisStephoni, quæ ſatis arderet: quomodo enim tonaret, quomodo fulminaret ſine ingenioſo ardore! O tonantis, ô fulminantis olim Stephonii lætum prodigium. Tunc enim verò

(a) *Intonuit lævum bene tempeſtate ſerena.* Etenim quid è Stephonii ſuperſtitis facundia, niſi ſerenitas naſceretur? Quid illum conſequatur exſtinctum, niſi turbulenta tempeſtas lachrymarum? Noſtras lachrymas,& ſua gaudia, ſive obitus diem ſui multo ante idem præſagiſſe ac prædixiſſe dicitur Stephonius: cur enim divinus Romanæ ſuavitatis cygnus ſine divina-

(a) *Ennius.*

divinatione mortis canorum ſpiritum expiraret? At quàm felix tua mors, eodèm qui die naſceris, atque occidis, quo divina Vitæ Mater concepta eſt! ut non tam natus ad mortem, quàm mortuus ad vitam, eſſe videaris. Virgo igitur, quæ Deum terris, te cœlo peperit: ut quantus mortalitati moriaris, quantus renaſcaris immortalitati, è magnæ Parentis nobilitate interpretemur. Per lacteam verò Virginis viam quò abires aliò, quàm ad Superos? Quis divino Pôëtæ Parnaſſus aptior, quàm cœlum? Quæ tibi Muſæ vocaliores, quam canori Cælites? Quis Apollo præſentior, quâm Deus? In iſto jàm felicitatis theatro nihil tragicum ſonas ac lugubre: ſed inter cœleſtium concentus ac plauſus Amorum, Dei, quo plenus es, feſtivum canis Dithyrambum ad clepſydram æternitatis. In iſtis victor Olympiis (quando mortalis laurea tuis minor meritis erat) immortalem lucis coronam refers: imò verò tute tibi es corona, quia Stephonius es. Nobis aûtem quid ſupereſt, niſi orbitas luctuoſa ſine te? Agite igitur redite voces in lachrymas, redite. Tanti enim viri jacturam & deſiderium nulla poteſt eloquentior, qûam lachrymarum affluentia perorare.

ET SI-

ET SIBI ET ALIIS ÆSCULAPIUS
Sive
In funere Marsilii Cagnati.

ORATIO XXXVII.

HActenus (Doctissimi atque excellentissimi viri) Marsilio Cagnato, à quo tam sæpe Roma, Urbium Regina, vitam accepit, in ipsa ætatis maturitate immatura morte votis omnium & publicæ opportunitati prærepto, acerbissimus Romæ dolòr? dum, vocis aditu intercluso, lamentari nequit? tacito lachrymarum honore parentavit. Nunc tandem aliquando seipso major ac violentior ex ore nostro, ex his ipsis atratis parietibus, funebri carmine flebiliter canoris in ejus lugubrem laudationem erumpit, cujus nuper ad funus manavit in lachrymas. Laudare enim uberiùs, quâm lugere decet extincti memoriam, cujus, dum viveret, laudes nunquam intermorituras augurabamur. Illud verò, quod in omnium memoria sæculorum vivat, dignissimum præcla-

rè, dum vixit, præstitit Marsilius? ut non singularem modò scientiam ad aliorum corporum sanitatem incolumitatemque, verùm etiam incredibilem quandam virtutem âd animi sui temperationem æquabilitatemque ostenderit. Ut sibine, an aliis præclariùs medicinam fecerit, jure dubitetur. Utramque igitur laudem breviter ego adumbrabo dicendo, quam ille agendo expressit illustriùs. Atque ut inde mihi nascatur oratio, unde prima illi decora extiterunt: pervidit vel ad primam ineuntis ætatis lucem providæ indolis Marsilius, hanc viam ad immortalitatem proximam & quasi compendiariam esse, si Medicinæ nomen daret; cuius utilitatem nobilitatemque divinæ inventioni consecravit antiquitas. Quid enim vel ad communem civitatis salutem utilius quàm reduces vitas efficaci poculo depositis corporibus, ac propè jã exstinctis infundere? vel ad publicã nominis commendationem nobilius quam jactantem sese sua mortalitatis in aula cum infinito morborum satellitio mortem profligare? Quod victoriæ genus heroicis etiam temporibus adeô gloriosum erat, ut peritissimus medicinæ Hercules Heroum fortissimus haberetur. Præsentissima itaque hujus artis vis & facultas splendido Euripidis mendacio

dacio locum fecit, Hèrculem cum ipsa morte luctatum Alcestidem illi per vim eripuisse, quæ pro charissimo viro Admeto vicarium funus occupasset. Heroica ergo dignã indole scientiam aggressurus Marsilius, alacritate, quàm ætate firmior Patavinas Athenas, ad omnium scientiarum emporium, proficiscitur. Augusta nimirum erat crescentis adhuc virtutis magnitudini Veronæ, parentis atque altricis nobilissimæ, amplitudo. Neque potuit adulta illa in teneris annis virilis indoles ingenii diutius in materno patriæ amplissimæ sinu complexuque delicatè otioseque delitescere: Debuit è domesticis blandimentis ac deliciis ad vocantem in sua Lycea Sapientiam provolare. Doctorem hic habuit, ne quid optimæ deesset felicissimi culturæ ingenii, Jacobum Zabarellam. Nihil enim ad sapientiam properanti accidere felicius potest, quàm, quæ facem præferat ad cognitionem, Doctoris institutio sapientissimi. Ut magno parem Alexandro magistrum Aristotelem contigisse summa fuerit, ipso judice Philippo, etiam inter sceptra felicitas. Jam verò quis referat constanter susceptos pro sapientia labores, pervestigatam sagaciter pro ingenii laude veritatem Quoties, Cagnate, in latentium commentatione

causarum defixus solidas diebus noctes continuabas si tamen nox oboriri ulla tibi unquam potuit, ad clarissimam sapientiæ lucem semper excubanti. Quoties in illis immortalium excubiis literarum non amabilissimam solum præsentis veritatis contemplabare speciem, verum etiam futuram apud omnes posteros gloriam prospiciebas tuam? quæ illa te primùm die incredibili plausu, ac perhonorifica acclamatione excepisse fertur; cum philosophicus labor è nocturnis vigiliis ac tenebris in publicæ disputationis pulverem Solemque procesit. Verum non potuit unius eruditione urbis immensa discendi cupiditas expleri. Itaque veterum more sapientium peregrinata, in hanc omnium terrarum arcem, virtutis & gloriæ domicilium, Romam venit: quam nactus unam Marsilius indolis suæ magnitudini parem, dignum quoque suo ingenio, dignum Romano theatro Magistrum, Alexandrum Petronium, Medicum ejus ætatis in primis nobilem nanciscitur. Cujus eruditissima domo post quinquennale tirocinium adeo in curãdis morbis exercitatus versatusque ad salutem prodiit civitatis? ut Hippocrates aliquis è templo Æsculapii cum èxscriptis morborum tabellis iterum exstitisse, vel cùm priscis illis Asclepiadis in horto

in horto Sanitatis educatus esse videretur. Quæ possit hoc loco tuis, Cagnate, laudibus par oratio inveniri? Ita enim observatis notatisque corporum signis futura morbi pericula præsentiebas; ut imminentem ex insidiis mortem præsenti remedio anteverteres. Ita salutarem ægrotis ac prope desperatis hominibus medicinam adhibebas; ut illa, tanquam Helenæ poculo, salutem ac vitam propinares. Et miramur, si te in morbos ac mortem ipsam, quantum homini fas est, dominantem Regina terrarum Roma gravissimis ac pestilentissimis annis laborans adeo coluerit? ut opem sæpe tuam ac præsidium implorarit! adeo te authoritate maximum honore etiam auxerit, ut medicorum principem ac signiferum non semel renuntiarit? adeo te rerum cognitione occultarum admirabilē suspexerit; ut in amplissima omnium disciplinarum Academia publicum tibi docendi munus ac decus detulerit? In qua sive Philosophiæ decreta explicares, sive medicinæ præcepta traderes; illa ipsa Roma, quæ Ciceronis olim ex eloquentia, tuo nuper ex ore pendebat. Ita enim præter eam, quam profitebatur, sapientiam, qua Latine, qua Græce noverat: ita cum Astrologia callebat Histori-

am; quæ postrema duo præsertim requirit in absoluto ac perfecto medico Gàlenus; ut ingenitam illam medicinæ austeritatem multiplicis eruditionis condimento auditoribus suis suavissime temperaret. (a) Legi aliquando, Hugonem Senensem, inter ætatis suæ medicos facile Principem, in eo concilio generali, quod summus Pontifex Eugenius, hoc nomine Quartus, Ferrariæ coegit, ad instructam laute opipareque cœnam Latinorum Græcorumque sapientissimòs, qui tum Ferrariam convenerant, vocasse: atque inter cœnandum (quod etiam deGorgia Leontino legimus) professum esse, de omni re, quæcunque in disceptationem quæstionemque vocaretur, se còpiosissime esse dicturum. Idem hoc poteras tu quoque, Cagnate, profiteri. Vnum illud opus tibi non erat, ut epulas dicturus apparares: suavissima enim oratio tua omni eruditione condita epulum erat lautissimum. Mirentur hanc alii, dum publice doceres, in docendo sapientiam. Admiror ego peræque in familiari convictu sapientissimam taciturnitatem. Neque vero inter populares vulgi sermones poteras non tacere, qui rebus humanis prior & sublimior, atque ex altissima mentis

(a) *Aen: Silv. Europæ cap: 52.*

mentis arce, quod infra obstreperet, non exaudiens, arcano sapientiæ colloquio fruebare. Ut enim, quæ sine undarum strepitu belle ac tranquille labuntur flumina, magnam aquarum molem invehere solent: ita hominis animus taciturni multa solet abundare sapientia. Par erat nimirum, aureas illas voces non in vulgus effundi ad brevem admirationem: sed librorum monumentis ad sempiternam commendationem consignari. Quantum enim, quæso vir sapientissime, doctissimorum hominum plausum excitarunt tui de re medica libri complures, quâ eruditionis qua orationis lepore omni ac venustate florentes? qui non typographi magis opera quam gloriæ acclamatione pervulgati, quod tu in illo docto silentio meditabaris, honorifice prædicabunt apud omnes annos consequentes. Neque tamen cultissimi fœtus ingenii è conclavi domestico adhuc omnes in lucem extitere. Latent recentes senectutis extremæ partus, jam lucis appetentes publicæ: qui posthumam parenti suo gloriam, summam posteritati utilitatem pollicentur. Vt, qui multos medendo morti eripuit vivus, scribendo Plures ad vitam revocasse dicatur exstinctus. Exstinxit hunc sane vis mortis maturior: at extingvere totum non potuit. Tua est vita illa, Ca-

gnate, quam tuis è libris haustam tota posteritas vivet. Quantulam tui partem inimica mors abstulit, quæ te in omnium ætatibus sæculorum victurum reliquit? Habetis, Auditores, quam adinvenit aliis incredibili sapientia Marsilius, medicinam. Veniam nunc ad eam, quam sua ipse sibi virtute comparavit. Scitum illud est, hominis animum turbidis concitatisque motibus, suis veluti morbis, miserè opportunum esse; quibus eo gravius tentatur, quo minus ijdem timentur: eo difficilius liberatur, quo tenacius adhærescunt. Quare si (quod verissimè Hippocrates) ille in primis periculosus est morbus, quo laborantis vultus sui fiat dissimillimus; quàm graves ac tabificas esse mentis ægritudines necesse est, quas non animi solum, sed oris etiam impotens distortio ac deformitas consequatur? Enim vero desipere se in summa sapientia existimasset Marsilius: si in aliena salute procurandá diligentissimus, connivere voluisset in sua. Illud itaque moderationis ac temperantiæ virili remedio affecutus est; ut neque tabesceret molestiis, neque frangeretur timore, nec sitienter quid appetens arderet desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquesceret. Quid illæ in multiplici negotio temporum ex constitu-

to repe-

to repetitæ vices? Quid ille frontis nunquam leviter remissæ tenor æquabilis? Quid illa decori sermonis, nihil molle sonans, librata gravitas? an non suspiciendam omnibus animi temperatissimi sanitatem prædicabant? Hæc ego tacita melius admiratione, quam brevi oratione percurri à me posse censeo. Unum illud è multis præstantissimum facinus præterire tacitus non possum quod nemini vestrum ignotum est, Auditores: quod nemo etiam vestrum poterit admirari satis. Vnicus erat Marsilio filius, Laurentius, ex lectissima conjuge, Episcopi Signini nepte, susceptus. Hic patriæ prius virtutis, quam fortunarum, hæres & numeri damnum indolis felicitate rependebat unus, & unice, ut par erat, diligebatur a patre. Meminere vestrum plerique ingenii suavitatem, eloquentiæ ac doctrinæ accessione cumulatam: meministis etiam Romæ in illum studia & voluntatem. Verum (quæ rerum est humanarum misera conditio, ut nihil in ijs summum diuturnum sit) unicum illud senectutis solatium, spes una generis illa, illa paternæ mentis viva effigies, juvenis integerrimus in ipso ætatis flore, in illa virtutis præcoci maturitate immaturo interitu exstinguitur. Lugebant illum omnes exstinctum, quicunque

que incolumem suspexere. Roma ipsa diu incerta, utrum obitus filii, an orbitas patris miserabilior esset, publico mœrore lugubre funus prosecuta est. Quid in aliorum luctu in sua calamitate patrem fecisse existimatis? Quod alii nimirum in alieno vulnere non potuerunt, hoc ipse fecit in suo: fortissimis oculis filii mortem ac funus inspectavit, quod sine lacrymis Roma non potuit intueri. Cumque hoc ipso in loco funebri laudatione recentis obitus vulnus refricaretur: è Marsilii pernecessariis aliquis, non invicti animi nutu, sed insoliti doloris æstu luctum absorberi omnem suspicatus, ut dolorem lugendo molliret, amice illum hortari, quandam esse lugere voluptatem: neque lachrymam parce atque in tempore profusam virum dedecere sapientem. Tum placide, ut solebat, ac sedate Marsilius, Equidem non sic doleo, inquit, ut ad levamentum doloris mihi lacryma opus sit. O vocis constantiam, oculorum fortitudini parem! O summas etiam inter calamitates & funera incorruptam, atque oris tranquillitate expressam, temperati animi sanitatem! (a) Fuit sane aliquid, & magnum fuit; ut gravissimus dicendi author concinne tibi cecinit; in patris orbitate lacry-

(a) *Bernardinus Stephonius.*

lacrymâsse Romam: at parentem in filij obitu à lachrymis temperasse quantum id tandem erit? Sed quid ego hæc intempestive? Cur in mediocrem laudem præpostera & præceps properavit admiratio? Erravi, Auditores. Non hæc in animo erat mirari. quæ parva sunt in Marsilio, & communia cum aliis: maxima in cæteris, & jure miranda. Quid? est ne aliquid ultra, quo progredi eximia parentis virtus queat? erit. Pro ejulatu ac gemitu grave plenumque carmen ad filium fundet exstinctum. Hem, hoc illud est altricem ingenii vitæ moderatricem, studiorum magistram, officii custodem habuisse sapientiam. Adeo, gravissimo accepto vulnere, sui erat compos ac valens; ut suos etiam inter luctus numerose luderet eruditus dolor. Et sane decuit hic te lusus sapientissime pater: quandoquidem unicus perire tibi filius potuit, hæres deesse non potuit: meliorem enim nominis hæredem tui; immortalem tibi Gloriam adoptasti. Et jure quidem optimo: extincti enim hæreditas filii redire debuit ad patrem. Demirarer hic ego pluribus in aliena morte tui robur animi ac præsentiam: nisi tuo in obitu admirabili hæc moritura laudatio properaret ad finem. Jacebat Marsilius ex gravi diuturno-

turnoque morbo, quem ſenectus ipſa, morbus alter, augebat: annum enim agebat ille nonum â ſexageſimo. Ergo cum morbi vis gravius invaleſcens nulla medicorum ope ſiſti poſſet: qua ſemper fuit mira animi præſenſione. imminere jam ſibi mortem animadvertit, mortem autem? Tibi enim vero, vir integerrime, nulla unquam immortalis beatæque vitæ ſpes certior affulſit. Itaque ante exitum illum optatiſſimum ſibi, luctuoſum ſuis, nihil habuit antiquius, quam ut Chriſtianæ myſteria religionis ſanctiſſime obiret moribundus: quæ frequentiſſime, dum viveret, obiiſſet. Mittit ad hæc, qui â ſummô Pontifice ſibi decedenti ſalutarem expiationem & indulgentiam ritu catolico precetur: quam cum libente Pontifice impetraſſet, adeſſe demum domeſticos jubet: unam illis virtutem, quamvis in amore ac deliciis habuit, brevi moriturus, quaſi teſtamento, commendat: ad extremum ſupremam ſalutem impertit omnibus, migraturus in cælum. Hic flere omnes. Vnus ille, in extremo vitæ naufragio, tranquilliſſimo animo ac vultu feliciſſimæ æternitatis portum præcipere: donec leviſſima intermortuæ vocis, Jeſum appellantis, aura proſpere provectus animus

mus ex hac mortalitate enavigavit. Enavigasti tu quidem, Cagnate, feliciter è nostræ syrtibus mortalitatis ad vitam: at nobis miseræ nimis supersunt tuæ felicitatis reliquiæ, triste nimirum tui desiderium. Vtinam vita illa, quam Romæ toties salutaribus tradidisti remediis, tibi potuisset rependi. Non te profecto nunc lugeremus exstinctum, ut victurum diu coleremus. Magnum tamen est miserandæ orbitatis solatium, quod tuæ tibi medicinæ remedio immortalem (ut spes est) inter Cælites vitam consecutus, superstitem etiam in totius te posteritatis ore ac memoria, ex illustri ac pleno stellarum loco, quem tu novum medicinæ sidus illustriorem fecisti, intueberis. Illud certe (quod nostra facultas patitur, & ratio postulat) habemus ad extremum hoc loco repromittere, nullam sapientiæ virtutisque tuæ memoriam adeo vivam in animis hominum ex isto Beatorum concilio te spectaturum esse, quam quæ in nostræ benevolentia Societatis, diuturno annorum ferme quadraginta, nutrita beneficio, grata laudum commemoratione tuarum sæpe renovanda, nunquam consenescet. Hujus in te studii ac voluntatis infans hæc quidem,

at in-

at ingenua oratio, nullo cultu ornatuque mœstissima tuum properavit ad funus, debitum dictura testimonium: quandoquidem tuis par meritis præconium afferre non potuit.

LAUS DEO, HONOR ET GLORIA.

ORATIONUM SYLLABUS.

XXXV.